viro adulteri: nam eadem lex loquens in hoc eventu, statim subdit: *Si los accusare, que los metan en su poder, y haga dellos lo que quisiere*: Cum ergo eadem forma in utroque eventu loquatur, & in hoc conveniant DD. non solum esse permissum, sed concessionem reddentem licitam occisionem: ergo sionem, sed concessionem reddentem licitam occisionem: ergo idem dicendum est in illo eventu, quo propria authoritate idem diceodum est in illo eventu, quo propria authoritate necat. Tertio, quia cum liceat invasorem ad res proprias tuendas interficere: a fortiori id licere adhibendum est, ad tuendum honorem: quæ ledere injustus adulter non veretur. Honos enim rei familiari antefertur, *l. Jul. ff. si quis omis. can.* Quarto, quia Nicol. I. scribens Rodulpho Bituricensi Archiep. & refertur *c. Interfectos*, 33. q. 2. sic ait, *Interfectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis, adulterarum, quid aliud habendi sunt, quam homicidæ?* Sentit ergo reos homicidii eos minime censendos, si uxor interfecta, adultera sit. Et Steph. V. Astulpho scribens & refertur *c. Admonere* 33. q. 2. illum carpit, quod uxorem necassset: subditque delicti rationem, his verbis: *Non invenisti eam cum alio viro, rem nefariam facientem*. Ergo sic inventa passet citra culpam necari. Et ideo hanc sent. tuentur *Castillo, l.* 82. *Tauri, n.* 6. *fin. & ibi Ant. Gomez n.* 53. *fin.* junct. *l.* 76. *in fin. Mincb. in contr ususfruct. l.* 1. *c.* 6 *nu.* 2. *& seqq. Et in contr. illustr. l.* 1. *c.* 49. *nu.* 4. *& seq. Julius Clar. l.* 5. *recop.* 8. *Homic. vers. Sed hæc quidem, Azeb. l.* 8. *recop. t.* 22. *l.* 1. *fin. & l.* 4. *t.* 10. *l.* 1, *n.* 21. Et *Emm. Sa sum. v. Homic. num.* 15. *vers. Occidere*, refert aliquos hoc tenere, & videtur sentire esse probabile: tantum enim vocat melius oppositum.

38 Secunda sent. extrema, docet, virum peccare lethaliter, occidendo adulteros authoritate judicis sibi traditos ut occidantur. Ducitur, quoniam cum leges non præcipiant viro, nec etiam judex, ut adulteros eneeet, sed suæ voluntati committant. Ut constat ex *l.* 3. *t.* 20. *l.* 8. *recop.* cujus verba nu. præc. retuli, non censetur maritus authoritate publica, sed privata eos interficere: ac proinde a culpa homicidii non excusabitur. Et confir. quia ideo authoritate privata peccat eos occidens, quod lex id non concedit, sed solum permittit. Sed similiter est permissio, si voluerit vir occidere, quando judicis authoritate sibi traduntur. Ergo vel in utroque casu vel in neutro, peccat. Secundo, quia *D. Th. 4. d.* 37. *q.* 2. *ar.* 1. *ad* 2. dicens legem civilem permittentem viro adulteros in scelere inventos enecare, non excusare a culpa; eam subdit rationem, quod lex non præcipiat, sed viro permittat. Sed similiter non præcipit, sed solum permittit post latam a judice sententiam: ergo nec tunc excusabit a culpa. Hanc sustinet *Sot. 7. d.* 15. *q.* 3. *paulo ante solut. ad argum. v. Esto etiam*: & ducitur alio fundamento, quod non refero: quia nullius est momenti. Et dicit esse probabile *Ovandus 4. d.* 37. *q. un. propos.* 3.

39 Prima tamen conclusio sit. Maritus propria authoritate adulteros in delicto repertos enecans, admittit culpam lethalem homicidii. Probatur ex *c. Inter hæc* 33. *q.* 2. ubi Nicol. I. scribens Albino Archiep. dicit licere secundum leges mundanas, non tamen secundum Ecclesiasticas, uxorem adulteram interficere. Secundo, quia *D. Aug. lib.* 2. *de adult. conjug. c.* 15. vocat rem nefariam, sic adulteram occidere. Tertio, quia leges solum permittunt impune occidere, parcentes vehementissimo dolori, quo concitatus vir injuriam sibi irrogatam, adulterorum interfectione vindicat. At leges permittentes aliquid impune fieri, minime a culpa excusant. Ut latissime multis exemplis adductis confirmat *Tiraq. lib.* 9. *connubn. t. & seqq.* Tandem, quia injustum est, parte non audita, concedere generalem facultatem occidendi reum: leges ergo quæ id concedere videntur, potius permittunt impune id fieri, quam facultatem sic faciendi concedant: ac subinde maritus illarum authoritate adulteros in delicto comprehensos interficiens homicidii culpa minime vacabit. Atque ideo hanc partem tuentur ex Theologis *D. Th. 4. d.* 37. *q.* 2. *ar.* 1. *corp.* ubi *D. Bonav. art.* 2. *q.* 1. *Durand. q.* 2. *ar.* 1. *n.* 5. *Ricard. art.* 2. *qu.* 1. *Palud. q.* 2. *ar.* 1. *num.* 5. *& d.* 35. *qu.* 2. *ar.* 1. *concl.* 3. *num.* 10. ubi *Major. q.* 2. *& ult. Abul. Matth.* 5. *qu.* 113. *D. Anton.* 2. *p. t.* 7. *c.* 8. §. 2. *not ab.* 2. *Metina cap. de vestit. q.* 3. *cas.* 4. *Victoria sum. de matrim. num.* 292. *Petr. de Soto lect.* 13. *de matrim. diffic.* 1. *Supplem. Gabr. 4. d.* 37. *q. un. art.* 3. *dub.* 2. ubi *Sot. q. un. ar.* 3. *concl.* 1. *& de just. l.* 5. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 1. *Guil. Borril. 4. d.* 37. *qu. un. ar.* 2. *concl.* 3. ubi *Ovand. qu. un. propos.* 2. *& ibi Celaya q. pen. Viguer. l. instit. cap.* 16. §. 7. *vers.* 9. *ad fin. Ledesm.* 2. *par.* 4. *q.* 62. *ar.* 2 *fin. Veracr.* 3. *par. Speculi, ar.* 4 *concl.* 1. *fin. Palacios 4. d.* 37. *disp. un. f.* 805. *vers. Ceterum res constans est, Angl. Florib.* 1. *part. de matrim. qu.* 11. *de imped. ordinis, artic.* 2. *diffic.* 2. *Pedraza summ. præcep.* 5. §. 2. *Valentia* 2. 2. *disp.* 5. *q.* 8. *punct.* 3. §. *Secundus est, Arag* 2. 2. *q.* 64. *ar.* 3. *ad* 2. ubi *Salon cont.* 2. *& ibi Bannes dub.* 2. *in solut. ad* 3. *Emm. Sa sum. v. Homicidium, num.* 15. *vers. Occidere, Lud. Lop.* 1 *par. instruct. cap.* 195. §. *pro faciendo, Barth. a Ledesm. de matrim. dub.* 57. *concl.* 1. *Petr. de Ledesm. de matrim qu.* 60. *ar.* 1. *dub.* 1. *Navar. lib.* 2. *de vestit. cap.* 3. *par.* 1. *in nova edit. dub.* 8. *num.* 206. *Phliarc. de offic. sacerd. t.* 1. *par.* 2. *l.* 4. *cap.* 8. *vers. Dicimus tertio, Manuel* 1. *tom. sum.* 2. *edit.* 206. *n.* 9. *Vega* 1. *tom. somm. c.* 127. *cas.* 3. Et ex Jurisperitis, *gl. c. Interfectores, v. Adulterarum, & c. Inter hæc, v. Licet* 33. *q.* 2. *& Archid. eo cap. Inter hæc, statim in princ. Bellam. ibi, statim in princip. Abbas, c. Si vero, el* 1. *n.* 10. *de sent. excom. & cap Veniens, el* 2. *de spons. in fin. Et cap. Interfecisti, n.* 2. *de hom. & ibi Æneas de Sulconibus, in addit. l. C. v. d. peccato, & ibi Anania, num.* 7. *Felin. num.* 4. *Idem Felinus c. Quæ in Ecclesiarum, num.* 4. *de constit. Alex. de Nevo cap. plerumque n.* 21. *de donat. inter vir. & uxor. & cap. Veniens, el* 2. *nu.* 18. *de sponsal.* ubi *Card. num.* 2. *oppos.* 2. *præpos. fin. Jason l. Ut vim, num.* 22. *ff. de justit. & jur. Alber. in suo diction. lit. A. v. adulterium, vers. an liceat aliquo casu, & lib.* 1. *v. Impedim.* 8. *fin. Faber l. Græcis. paulo ante fin. C. ad l. Juliam de adult. Fortun. de ult. fin. illat.* 11. *num.* 129. *Asensi sum.* 2. *p. l.* 8. *t.* 20. *ar.* 4. *qu.* 1. *Rosel. v. Impedimentum, imped.* 8. *num.* 22. *Ang. homicidium* 1. *num.* 6. *& v. Uxor, num.* 4. *Silv. Homicidium*, 1. *q.* 2. *diff.* 6. *& v. Lex, q.* 10. *vers.* 4. *& Matrim.* 7. *fin. Tabiena ver. Impedimentum, imped.* 7. *qu* 1. *n.* 2. *Armil. v. Homic. nu.* 8. *Tiraq. lib.* 9. *connub. num.* 4. *Hippol. l. Patre, vel marito, num.* 9. *ff. de quæst. Cisuentes lib.* 82. *Tauri, dub.* 4. *Turrecr. c. Interfectores* 33. *q.* 2. *n.* 2. *Nav. sum. Hisp. c.* 15. *n.* 3. *fin. Covar. A. decr.* 2. *p. c.* 7. §. 7. *n.* 9 *Tello lib.* 9. *Tauri num.* 13. *Plaza de delictis, l.* 1. *c.* 36. *nu.* 13. *Oroscl. Ut vim, n.* 5. *& 6. ff. de just. & jur. Duennes reg.* 68. *limit.* 2. *Decian. pract. crim. l.* 9. *c.* 15. *fin. Villalob. in summa opin. lit. M. num.* 23. *Perez lib.* 8. *ordin. t.* 15. *l.* 2. *fol.* 293. *immediate ante* §. *Ex qua potestate, Gaeta repet. cap. ad limina* 30. *qu.* 1. §. 4. *n.* 241. *Spino speculo testam. gloss.* 19. *princip. num.* 34. *Matienzo lib.* 5. *recop. tit.* 7. *lib.* 6. *gl.* 1. *n.* 11. *Guttierez quæst. pract. lib.* 2. *q.* 1. *n.* 22.

Dubitabis forsan, an si maritus esset judex, liceret adulte- 40
ram uxorem in scelere comprehensam interficere? Id enim forte licere ait *Palud. 4. d.* 35. *q.* 2. *ar.* 1. *concl.* 3. *q.* 10. Et satis favere videtur *D. Th. 4. d.* 37. *q.* 2. *ar.* 1. *ad* 1. ait enim ideo virum tunc interficientem peccare, quia non est uxoris judex. Et suaderi potest, quia judex reos mortis interficere potest. Talis autem est adultera illa. At dicendum est cum *D. Ant. & Suppl. Gabr. cit. num. præc.* id minime licere. Quia judicis est malefactores punire, non utcumque, sed parte audita, sententiaque lata. Nec *D. Th.* oppositum sensit: nam dixit non licere viro interficere, quia non est judex uxoris, suppl, & esto esset judex, non interficit ut judex, sed ut persona privata. Quia non procedit causa cognita.

Hinc deducitur, virum qui privata authoritate adulteros in 41
scelere repertos enecat, teneri damna restituere, instar aliorum homicidarum. Quia peccat peccato homicidii, & subinde contra justitiam. Sic *Navar. lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *p.* 2. *in nova edit. dub.* 8. *n.* 207. & favent teneri allegati nu. 39. dicentes hoc esse peccatum homicidii: & *Bannes ibi allegat.* dicens hunc peccare contra justitiam.

Secunda conclusio, Maritus adulteros interficiens sententia 42
judicis sibi traditos, ut eos, si velit, necet, nullius culpæ reus, est, si non livore vindictæ, sed justitiæ zelo id efficiat. Quia sicut judex potest carnifici executionem ejus sententiæ demandare, nec carnifex peccaret: ita potuit lex id committere marito. Nec refert illum esse necessarium sententiæ executorem: hunc autem liberum. Quia utroque revera est minister justam sententiam exequens: & authoritate legis, ac judicis id munus obit. Nec potest dici, id esse permissionem solam. Nam judex authoritatem præstat illi occisioni, sententia publica damnans, & vinctos tradens adulteros marito, ut si velit, eos enecet: & si quis obstaculo esset interfectioni, arceret illum: quare marito peccante, non posset judex ejusdem culpæ immunis esse, tanquam cooperans morti, illamque fovens: & subinde lex id præscribens, foret iniquissima. Et ideo hanc partem defendunt ex Theologis, *D. Th. Durand. Richard. Palud. 4. d.* 37. *q.* 2. *n.* 7. *ar.* 1. *Victor. Metin. Petr. de Soto, Sotus lib.* 5. *de just. q.* 1. *ar.* 3. *ad* 1. *& 4. d.* 37. *q. un. ar.* 3. *concl.* 3 *Ledesm. Celaya, Veracr. Palac. fol.* 805. *vers. Verum si judex Angl. Aragon. Salon, Bannes, Valentia Emm. Sa, n.* 14. *vers. adulteram Navar. num.* 209. *Bart. a Led. concl.* 3. *Lud. Lop.* §. *ad* 1. *object. Petrus de Ledesm. dub.* 2. *Manuel. Philia. Vega, quos retuli n.* 39. *Driedo lib.* 1. *de libert. Christian. cap.* 10. *Victoria, relat. de homicid. a n.* 11. *usque ad* 20. Et ex Jurisperitis. *Alberic. utroque loco, Asensi. Rosel. Silv. Matrim.* 7. *fin. Tabiena Armilla Turrecr. Covar. nu.* 18. *Tello, Decian. Plaza, Perez, Gaeta, Matien. nu.* 17. *Guttierez num.* 23. quos omnes retuli numer. 39.

Imo si convicti adulteri fugam arripiant, & judex capite 43
eos damnet, committens viro ut ubicumque apprehensos occidere possit, non peccabit vir occidens zelo justitiæ. Quia jam authoritate judicis publica fungens, id exequitur. Sic docent *Palacios Guttier. Manuel, Vega n. præc. alleg.* Temperantque, nisi vir adulter quoque sit. Sed id temperamentum nu. 35. reprobavimus.

Ad arg. n. 37. proposita resp. Ad 1. dic cum *D. Th. 4. d.* 39. 44
q. 2. *ar.* 1. *ad* 2. legem concedentem, vel jubentem aliquid, aut approbantem excusare a culpa, secus quando tantum permittit. Ad confir. dic cum *D. Th. 4. dist.* 33. *q.* 2. *ar.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 1. potentem prohibere minime peccare, si a prohibitione abstineat, non iperans correctionem, sed graviora damna probabiliter timens. Ut contingit in præsenti. Ad 2. negandum est leges id concedere: tantum enim permittunt. Et dum *lex illa* 5. dicit juste illatam esse mortem, non intelligit, licite in foro conscientiæ: sed juste, idest, in casu a lege impune permisso. Et quamvis *lex illa* 3. *ubi alleg.* videatur eodem tenore loqui, dum permittit authoritate propria viro occidere adulteros: & dum authoritate judicis id concedit. At magna reperitur differentia in modo utriusque concessionis. Nam dum loquitur de occisione authoritate propria, sic ait: *Que pueda matar*: Idest, impune. At quando authoritate judicis, sic ait: *Que los metan en su poder*. Ubi judici præcipit, ut occisioni cooperetur, tradens adulteros viro occidendos. Quod iniquum esset, si vir peccaret. Ad 3. dic licere invasorem ad lædendum honorem interficere, quando alter defendi nequit: at ubi jam læsit, idest illicitum. Quia prius ad justam defensionem, posterius vero ad vindictam spectat. Sic ergo adulterum invadentem ut uxorem violet, potest vir uxoris castitatem tuens, interficere, si aliter illud malum cavere nequeat. Id enim est justa defensione uti. At ubi invenit adulterantem, non est defensio, sed vindicta: & proinde est illicitum. Ad 4. dic cum *gl. eodem c. Interfectos, v. adulterarum*, supplendum esse, maxime, cum non addit, adulterarum: quasi velit in utroque casu esse peccatum: sed multo gravius, quando uxor innocens esset. Ad *cap. admonere*, dic non esse causam injustæ occisionis, non inventam esse uxorem in adulterio: sed causam crudeliorem, & scelestioris occisionis: cum uxor ansam minime dederit. Ad arg. n. 38. proposita respond. Ad 1. dic, quamvis judex non præcipiat, at ipsum præbere licentiam, & authoritatem interfectioni illi præstare: ac proinde censeri factam authoritate publica. Ad confir. constat ex dictis in solut. ad 2. argum. Ad 2. respondet bene *Sot. 4. dist.* 37. *q. un. ar.* 3. *post* 3. *concl. vers. Nemirem ergo fallat, ibi* D. Th. sermonem facere de marito propria authoritate interficiente adulteros: quem ratione legis permittentis ait minime excusari: quia lex non præcipit, sed permittit. Quamvis autem non præcipiat, quando authoritate judicis viro traduntur: at ea non est pura permissio, ut explicuimus in solut. ad 2.

SUMMARIUM.

Proponuntur argumenta probantia, viro adultero non licere adulteram criminaliter accusare, ut capite damnetur, n. 45.
Sententia Authoris proponitur, n. 46.
Solvuntur argumenta, n. 47. *& ibi explicatur lex* 6. *t.* 9. *p.* 4. *l.* 9. *t.* 17. *p.* 7.

45 QUæstio ultima. An viro adultero licitum sit in foro conscientiæ uxorem adulteram criminaliter accuare, ut capite damnetur? Pars negans ex eo suaderi videtur, quod paria delicta conjugum mutua compensatione aboleantur, *c. penult. de adult. & l. Viro, atque uxore*, 40. *ff. solut. matr.* & nil iniquius sit, quam virum eodem vitio laborantem accuare adulteram de eodem crimine. Ut testatur *D. Augus. lib.* 1. *de serm. Domin. in monte, c.* 28. relatus *c.* 1. 32. *qu.* 6. Secundo quia *l.* 6. *tit.* 9. *p.* 4. *& l.* 9. *tit.* 17. *p.* 7. expresse deciditur virum accusantem adulterium uxoris, propter eam reprobavi, dum ait admitti exceptionem concubinam tenentis viri, si uxorem accuset de adulterio. Possunt etiam pro hac parte allegari *Tiraq. l.* 1. *connub. gl.* 1. *p.* 1. *n.* 44. *Navar. summ. c.* 16. *n.* 29. *Matienzo l.* 5. *recop. tit.* 1. *gl.* 1. *rubr. n.* 102 ubi absolute dicunt nefas esse viro adultero accusare adulterium uxoris. Possunt etiam referri DD. quos disp. 6. num. 9. retuli, qui ajunt non permitti viro occulte adultero accusare uxorem publice adulteruntem. Sed revera non sunt omnes hi DD. hujus sententiæ: aperte enim loquuntur de accusatione civili quoad divortium, vel quoad lucrum dotis, in qua uterque conjux æqualis est, ac compensantur adulteria. Ut diximus n. 29.

46 Dicendum igitur est, virum quantumvis adulteriis coopertus sit, posse criminaliter accusare uxorem adulteruntem, & adversus eam licite pœnam illam sententia judicis præcedente, exequi. Dicor, quoniam idem servandum est in utroque foro, quando forum externum non innititur falsæ præsumptioni (ut probavimus *l.* 1. *disp.* 5. n. 20.) Sed in foro externo admitteretur accusatio adulterii uxoris ad pœnam criminalem, repulsa exceptione similis adulterii, (ut probavimus hac disp. n. 33. & 34.) ergo, & in foro conscientiæ id licebit. Et confirm. quia ideo vir adulter nequit uxorem adulteram accusare quoad divortium, dotisve amissionem, quia adulteria hæc quoad hanc accusationem civilem mutua compensatione abolentur, id ita jure disponente (ut nu. 29. probavimus.) At quoad accusationem criminalem contrarium disponitur, datur enim viro uxorem adulteram accusare, non tamen e contra: nec fit compensatio utriusque adulterii (ut num. 34. 35. & 36. probavimus.) Ergo licitum est viro adultero criminaliter uxorem adulteram accusare. Et ideo hujus sententiæ videtur clare *Cardin. c. fin. n.* 1. *oppos.* 2. *de adult.* ubi dicit adulterium viri ipsum privare jure accusandi uxorem adulteram, quoad divortium, non tamen quoad pœnam. Expresse etiam videntur hujus sententiæ Doctores, quos n. 36. allegavi, dicentes minime compensationem fieri utriusque adulterii quoad criminalem accusationem. Et in propriis terminis docet, dicens esse sententiam virorum doctissimorum, *Petr. de Led. de matrim. q.* 62. *art.* 1. *dub.* 3. *Bart. a Led. dub.* 68. *ad fin. de matrim. Enriq. l.* 11. *de matr. cap.* 17. *n.* 1. *ad fin.* Nec oportet addere limitationem, quam ipse ponit, nempe, si vir corrigatur, uxor autem in adulterio perseveret. Quia licet vir non corrigatur, nequaquam dari compensationem utriusque adulterii quoad hanc accusationem criminalem, probavi nu. 36. unde viro minime correcto tas est uxoris adulterium ad judicium criminale deferre.

47 Tandem ad argum. nu. 45. proposita respondetur. Ad primum dic compensationem illam intelligi, & testimonium *D. Aug.* quod accusationem civilem, in qua uterque conjux est æqualis: secus quoad criminalem. Ad secundum dic, leges illas accipiendas esse de accusatione civili, non autem de criminali. Ut docent *Greg. Lop. eo l.* 6. *v. Derecho: & eo lib.* 9. *v. Tali defensioni, & Azebedo l.* 8. *recop. cap.* 20. *l.* 3. *fin.* Vel secundo dic cum *Greg. Lop. eisdem locis*, si intelligantur quad accusationem criminalem, esse juri communi contrarias, & corrigi per jus novum hujus regni *l.* 3. *tit.* 20. *l.* 8. *recop.*

DISPUTATIO IX.

An conjuge innocente lapso in adulterium post latam divortii sententiam, fiat compensatio cum priori alterius conjugis adulterio, ac proinde teneatur illi reconciliari, ac dotem; atque alia bona ratione adulterii acquisita restituere: nec sententia divortii transeat in rem judicatam, sed retractanda sit, quoties constiterit deceptio?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sint, n. 1.
An sententia divortii transeat in rem judicatam, Refertur duplex sententia, n. 2. *& ibi.*
Sententia Authoris, & enodatur cap. Lator de sentent. & re judic. num. 4.
Solvuntur argumenta, ibi.
Post num. 5. *invenies alia Summaria.*

HActenus disputatum est de adulterii utriusque conjugis compensatione, quando ante latam divortii sententiam contingit. Jam occurrit disputatio, quando adulterium conjugis, qui divortium petiit, eratque innocens, contingit post latam divortii sententiam. Et quia multum pendet ex ea quæstione, an sententia divortii transeat in rem judicatam, ideo illa præmittenda est. Triplex igitur quæstio in hac disputatione est agitanda. Prima, an sententia divortii transeat in rem judicatam? Secunda, an ea semel lata, & cognita Ecclesiæ deceptione, possit retractari? Tertia, an fiat compensatio adulterii admissi post divortii sententiam cum adulterio priori: teneanturque tunc conjuges reconciliari? 1

Quæstio I. An sententia divortii transeat in rem judicatam, ita ut illa semel lata, & transacto appellationis termino, nemo decennio, neutri conjugi reclamare liceat? Affirmant quidam non transire, donec alteruter conjux separatus mutarit statum, v. g. profitendo in religione approbata, vel assumendo ordinem sacrum. Ducuntur 1. quia *c. Lator, de sentent. & re judic.* decernitur sententiam matrimonii numquam transire in rem judicatam: atque ideo quandocumque posse contra illam reclamari. Sententia autem divortii contra matrimonium tendit: per illam enim separatur quoad thorum, & mutuam habitationem. Secundo, quia lata divortii sententia, nec statu conjugum variato, potest innocens adire ad adulteri conjugis inviti reconciliationem. Quod admittendum minime esset, si sententia illa in rem judicatam transisset. Si docent *Host. c. Ex litteris, n.* 2. *de divor.* ubi *Jo. Andreas n.* 10. *Anton. c. Lator, n. ult. de sent. & re judic.* ubi *Imola in fin.* 2

Alii sentiunt absolute transire in rem judicatam. Quia speciale est, ut sententia circa vinculum matrimonii ligandum, vel dissolvendum, minime transeat in rem judicatam, juxta *c. Lator, de sent. & re judic.* ne foveatur peccatum. Si enim reclamari non posset adversus illam declarantem aliquod matrimonium esse validum, quando transacto appellationis termino constaret de impedimento dirimenti, cogerentur esse tanquam conjuges, qui revera tales esse nequeunt. Et proinde fornicationis peccatum foveretur. Et si contra declarantem, matrimonium fuisse irritum, non licere semper reclamare, quando constaret falso oppositum esse impedimentum dirimens, permitteretur illis, qui vero matrimonio juncti sunt, superinire altero conjuge, ad alias nuptias transire. Sententia enim declaranas prius matrimonium fuisse irritum, ac subinde utrumque conjugem solutum esse, concedit utrique facultatem ad aliud matrimonium migrandi. At si demus sententiam divortii transire in rem judicatam, nullum peccatum fovetur. Nam cum maneat matrimonii vinculum, neutri licet aliud matrimonium inire: & neuter cogitur ad non suam, vel non sum accedere. Quod si ex separatione ansa fornicandi sumatur, id culpæ conjugis fornicantis est tribuendum, & non sententiæ foventi peccatum. Sententia enim divortii suas vires conservante, potest uterque a fornicatione abstinere. Ergo id privilegium matrimonii, ut ejus sententia non transeat in rem judicatam, minime ad divortii sententiam est protrahendum. Nec obstat posse innocentem semper agere ad nocentis reconciliationem. Id enim non consurgit ex eo, quod divortii sententia minime transierit in rem judicatam, sed quia conjugi innocenti semper est licitum remittere injuriam sibi irrogatam, ac ita reconciliare sibi adulterum. Atque ita docent *c. Abb. c. Lator, n.* 12. *fin. & re judic. & ibi Alex. de Nevo, n.* 12. *Bellam. n.* 3.

At dicendum est, sententiam divortii non transire in rem judicatam, in iis, quæ sunt in adulteri conjugis favorem, bene tamen in iis, quæ in ejus odium, & innocentis favorem cedunt, ac proinde minime audiendum illum transacto appellandi termino, volentem allegare injustitiam sententiæ, reconciliationemve petentem: ac innocentem semper audiendum esse, 4

se, ngentem ad reconciliationem adulterii: nec adultero suffragari exceptionem rei judicatæ. Ducor, quoniam cum sententia divortii seratur omnino in favorem innocentis, & ad ejus instantiam, & in odium adulteri, cui nullo modo vult Ecclesia favetiam, & in odium adulteri, cui nullo modo vult Ecclesia favetiam, & in odium adulteri, cui nullo modo vult Ecclesia favetre, æquitas poscit ne in favorem rei transeat in rem judicatam, & innocentis perniciem. Iniquissimum enim jure optimo ait *Jurisconsultus l. Evidenter 16. ff. de except. rei judic.* esse, proscere

Evidenter 16. ff. de except. rei judic. esse, proscere rei judicatæ exceptionem ei, contra quem judicatum est. Deinde, quia si omnino sententia illa transiret in rem judicatam, quamvis posset injuriam adulterii condonare innocens, atque ita reconciliari sibi adulterum volentem: ipso tamen renitente minime posset coram judice obstante sibi agere ad illius reconciliationem (Cujus contrarium dicemus disp. seq.) exceptione rei judicatæ uti. Et proinde tunc foveretur peccatum. Nam daretur ansa conjugi fornicandi, ut sic alter divortium intentaret solutusque esset lege matrimonii quoad thorum, & habitationem. Tandem, quia cum divortium pertineat ad matrimonium, non tamen illius vinculum solvens, sed ab obligatione thori, & habitationis absolvens, æquum est ut non omnino, sed aliquatenus ejus privilegium participet, sententia in divortii causa non ex toto, sed partim in rem judicatam transeunti. Sicque docent *Host. c. De illa, n. 3. de divort.* ubi *Jo. Andr. nu. 3. Ant. num. 4. Præpos. n. 7. Alex. de Nevo, n. 9. Henric. c. Quanto, n. 7. de divort. Felin. c. Lator in 8. declarat. n. 9. de sent. & re judic.* & favet *Abb. c. Ex litteris, n. 11. fin. de divort.* ubi ait sententiam divortii non transire omnino in rem judicatam. Aliqui tamen ex his doctoribus distant in modo loquendi, nam quidam temperant, ut in favorem rei non transeat in rem judicatam, donec legitime statum mutarit profitendo in religione approbata. Sic *Anton. & Præpos. ibidem*. Alii autem, ut *Host. Jo. And. Alex. de Nevo, Henric. ibidem*, non admittunt eam limitationem: sed dicunt tunc non audiri potius ob negligentiam petendi reconciliationem tempore debito, quam eo, quod sententia illa in rem judicatam transierit in favorem adulteri. Et hic modus loquendi magis mihi placet.

5 Ad argum. n. 2. proposita respond. Ad 1. & 2. dic ea probare non omnino, sed partim transire in rem judicatam: ut num. præced. explicui. Et similiter respondetur ad arg. n. 1. propositum. Iam enim n. præced. probavi foveri peccatum, si sententia divortii omnino transeat in rem judicatam.

SUMMARIUM.

Si in sententia divortii Ecclesia inveniat se deceptam, an revocet sententiam, si neuter conjux mutaverit statum, numer. 6.

An reus condemnatus possit agere ad illius sententiæ rescissionem, vel solum veniat ex officio judicis retractanda. Et quando detur majoribus restitutio adversus sententiam, quæ transit in rem judicatam, 7.

An innocens, qui post sententiam novit alterius innocentiam, teneatur reconciliari, 8.

An cognita deceptione postquam innocens mutavit statum, factus sacerdos, vel voto ligatus, vel religiosus, sit restituendus uxori, possitque petere. & reddere, 9.

An ad hanc restitutionem desideretur ut alter conjux repetat, num. 10.

Quid si uterque conjux jam mutarat statum, an liceat repetere. Refertur quædam sententia, 11.

Sententia Authoris, 12.

An votum simplex ex causa falsa emissum, quando causa est pars ipsius voti, & coincidit cum re promissa obliget, nu. 13. & ibi, qualiter accipienda sit parvitas materiæ voti, ut error circa illam reddat irritum votum. Et an tunc obliget votum rei accessoriæ illi, quæ promissa est, 13.

Qualis debeat esse hic error ne votum obliget, an sat sit non considerare difficultatem voti implendi, 14.

An sit regula certa, ne obliget votum, vel juramentum: an id, ad quod vovens non se obligaret, si tempore voti advertisset, hæc voluntas virtualis sit, 15.

Error circa causam finalem, vel impulsivam, vel illam cessare, an tollat voti obligationem, 16.

Quid, ubi dubitatur num causa sit impulsiva, an finalis, vel ubi plures adsunt causæ voti, 17.

An professio ex falsa causa, vel ex dolo facta valeat. Refertur duplex sententia, 18. & 19.

Non irritatur professio, sive causa falsa sit impulsiva, sive finalis, 20.

Solum irritatur, quando est error notabilis circa substantialia, 21.

Nil refert eum errorem esse falsum, & crassum, 22.

An professio facta a muliere existimante divortium esse juste celebratum, alias non professura, sit valida, si constet divortium fuisse injustum, 23.

Post n. 23. invenies certa summaria, quæ desiderantur.

6 QUæstio II. An si lata divortii sententia constet Ecclesiam fuisse deceptam: ut quia inventum est conjugem condemnatum fuisse innocentem, vel utrumque pariter nocentem, sit ea retractanda, conjugeque ad pristinum matrimonii statum sint restituendi? Triplex potest esse casus. I. est, si neuter conjux statum mutaverit, nec castitatem voverit. II. quando alter mutavit statum vovens castitatem, aut factus sacerdos, religiosusve. III. quando uterque statum mutavit. In primo ergo casu, quando res est integra ex parte utriusque conjugis, quia neuter statum mutavit, conveniunt omnes retractandam esse sententiam, conjugeque reconciliandos. Quia sententia divortii solum transiit in rem judicatam, in favorem innocentis, & odium rei: ut nu. 4. probavimus. At in hoc eventu, aut neuter est innocens, sed simili erat labe infectus ante sententiam: aut uterque innocens erat, & proinde sententia illa non potuit in rem judicatam transire, sed erit revocanda. Atque ita fatentur omnes DD. n. 9. referendi, & *Palud. 4. dist. 35. q. 2. art. 2. n.* 18. Nec aliquem contradicentem inveni.

Sed rogabis, quo pacto reus condemnatus per sententiam, 7
quæ in odium ipsius transiit in rem judicatam, audiendus sit suam innocentiam probare volens, aut alterum conjugem pariter fuisse nocentem? Cum enim pro sententia, dum de ipsius injustitia minime constat, præsumendum sit, ipsi volenti allegare contra illam obstabit exceptio rei judicatæ, ne audiatur. *Abb. cap. Lator, n. 12. de sent. & re judic. & ibi Alex. de Nevo. n. 12. & Felin. ibi decis. 8. n. 9.* dicunt judicem ex officio debere tunc conjuges reconciliare, si periculum fornicationis adsit, quo illud vitetur. Sed huic solutioni obstat: nam etiam quando jam conjux innocens est professus, restituendus est priori conjugi, & ipso petente (ut dicemus n. 9. & 10.) Et ita datur actio conjugi reputato reo. Deinde, quia DD. allegandi n. 9. non dicunt hanc restitutionem faciendam ob periculum incontinentiæ, & solum eo existente, sed generaliter docent retractandam esse sententiam illam, tanquam cognitam injustam, & ex errore procedentem, tanquam non transierit in rem judicatam in eo eventu. Ideo melius dicendum est, quamvis audiri nequeat, si ex antiquis actis, & allegatis nitatur sententiam illam impugnare: eo quod præsumatur transisse in rem judicatam adversus ipsum: posse tamen audiri illum adversus illam sententiam, ex novis testibus, aut ex antiquorum falsitate volentem probare antiquæ sententiæ injustitiam, petito beneficio restitutionis ex clausula generali. Si quæ mihi causa justa subest: cujus meminit *Jurisconsult. l. 1. §. fin. ff. Ex quibus causis majores*. Quod beneficium conceditur quibuscumque majoribus, ut retractetur sententia, quæ in rem judicatam transiret. Ut eum *Innoc. Bart. & plerisque aliis*, tradunt *Greg. Lop. l. 19. v. Contra el Rey, tit. 22. p. 3. Padilla l. Sub prætext. nu. 17. C. de juris, & facti ignor. Greg. de Juram 3. p. c. 7. n. 9. Jo. Garcia de nobilitate, gl. 6. §. 2. n. 9. Cevallos in suis qu. pract. q. 542. n. 3. & seqq.* Quod quidem locum habet, sive adsit una sententia, quæ in rem judicatam transierit sive tres sententiæ, *Jo. Garcia ibid. n. 5. Cevallos n. 3. & 4.* Item conceditur hæc restitutio tam reo, quam actori. Ut contra Paulum docent *Greg. Lop. Padill. Guttier. Jo. Garc. n. 11. & 12. Cevallos n. 7. ibid.* Et licet fere omnes Doctores eam restitutionem concedant, quando nova allegantur instrumenta prius ignorata: at idem est dicendum, probata denuo veritate, sive ex instrumento, sive ex testibus, vel probata antiqua falsitate instrumentorum vel testium. Ut alios referens, & late probans docet *Jo. Garcia ibi num. 10. Cevallos num. 6.* Sed objicies nil speciale dari in sententia divortii, cum omnes aliæ ex simili causa retractentur: ac proinde frustra dici eam non transire in rem judicatam. Respondeo id esse speciale. Quoniam etiam constante veritate ad omnes sententias, quæ transeunt in rem judicatam retractandas, non audietur reclamans adversus illas, nisi petito beneficio restitutionis ex clausula generali. At vero si veritas aliunde constaret contra divortii sententiam, posset conjux damnatus absque eo beneficio restitutionis reclamare: imo & judex ex officio adversus eam venire: eo quod in eo eventu revera non transierit in rem judicatam. At dum id non constat, cum præsumatur justitia sententiæ, & transitus in rem judicatam adversus reum, audiri minime poterit contrarium ex novis actis probare volens, nisi beneficio restitutionis ex dicta clausula generali petito.

Ex his infertur, alterum conjugem, in cujus favorem lata est divortii sententia, ubi veritatis innocentiæ alterius conjugis conscius fuerit, teneri in foro conscientiæ ad suum consortium conjugale illum revocare. Non enim juvati potest ex sententia lata, quam falsæ inniti præsumptioni, sibi constat. Ita docent *Palud. 4. dist. 35. q. 2. art. 2. num. 18. D. Anton. 3. p. tit. c. 21. §. 6. ad finem.* 8

In 2. casu quando jam innocens mutarat statum, factus 9
professus in religione approbata, cognita falsitate est restituendus similiter alteri conjugi, cui debitum reddere tenetur, sed non potest ab eo exigere. Quia votum illud castitatis in professione emissum obligavit illum in quantum ille se obligare potuit, absque alterius conjugis præjudicio. Ut in simili dicitur *c. placet de conversi. conjug.* de conjuge, qui existimans alterum defunctum, est professus. Atque ita docent *D. Th. 4. d. 35. quæst. unic. art. 5. ad 3. Abulensis l. 8. sum. 2. par. tit. 34. art. 2. qu. 3. Joan. de Friburg. summ. confl. lib. 4. tit. 19. qu. 4. Abulensis c. 19. Matth. qu. 76. ad 3. Rosella verb. Divortium, n. 6.* ubi *Sylvest. qu. 21. n. 24. Armilla nu. 15. D. Anton. n. præced. allegatis, Tabiena Matrimon. 4. qu. 5. nu. 6. Sotus 4. dist. 36. qu. un. art. 3. Gaeta repet. cap. ad limina 30. qu. 1. §. 4. n. 225. Graffis 2. p. decis. lib. 1. cap. 12. n. 62.* Atque idem dicendum est, si vir erat jam sacro ordine initiatus. Quia eadem est ratio *D. Bonav. 4. dist. 35. in expositi. litt. n. 5. Jo. de Friburg. Rosella, D. Anton. Sylvest. Armilla, Tabiena, Gaeta, Graffis*. Imo idem dicendum est, ob eandem ratio-

rationem, quamvis simplici castitatis voto astrictus sit. *Sotus eod. loco, Jo. de Friburg. sum. confes. l. 4. tit. 22. qu. 14.*

10 Utrum autem ad hanc restitutionem faciendam desideretur, ut alter conjux repetat? *Rosella verb. Divort. num. 6.* junctis *nu. 7.* clare sentit eam repetitionem minime desiderari. Quia relata n. 6. sententia asserente desiderari ut alter petat: ait, dic ut n. 6. sequenti: ubi licet uterque statum mutarit, concedit utrique jus ad petendam alterius restitutionem. Et videtur tenere *Sotus n. præced. alleg.* ait enim hanc restitutionem faciendam maxime altero petenti. At contrarium tenent *Jo. de Friburg. sum. confessor. lib. 4. tit. 19. qu. 5. Astensis l. 8. summ. 2. p. tit. 34. art. 2. qu. 4. D. Antonin. Tabien. Graffis allegati nu. præced.* Ducuntur, quod ea professio tenuerit in voventis præjudicium. Sed prior sententia placet. Quia ea professio tanquam sine licentia, & absque vera causa facta fuit omnino irrita, ac proinde non potuit valere absque nova ratificatione: ac tamquam non professus poterit conjux propria authoritate cessante scandalo exire, & repetere manentem in sæculo (ut de professo absque licentia diximus lib. 7. disp. 34. num. 15.) At si hic professus esset mala fide, decipiens religionem, posset religio ipsum invitum retinere altero conjuge non repetente, in fraudis pœnam: at ipse non tenetur, donec damnetur, ut dixi ea disp. 34. num. 16.

11 In tertio casu, quando uterque statum mutarat, dicunt aliqui licere ei, qui ideo mutavit verb. gr. professionem faciens, quod existimaret divortium justæ celebratum, alias minime mutaturus, repetere alium, qui jam professus erat, aut ordine sacro initiatus: & ita si uterque ea falsa causa inductus, professus est, licere utrique alterum repetere. Sic *Rosell. v. Divortium, n. 7.* idque probat, eo quod illa professio eo errore facta sit invalida. Idem dicit in simili *Astensis l. 8. sum. 2. p. tit. 34. art. 2. qu. 5.* ubi relata contraria sententia, subdit *Hugonem* sentire, quando uterque conjux professus est, existimans alterum objisse, licere utrique alterius repetitionem. Quia neuter eo animo religionem ingressus est, ut monachus heret, altero superstite.

12 Sed dicendum est cum *Jo. de Friburg. sum. confess. lib. 4. tit. 19. qu. 6. Sylvest. v. Divortium qu. 22. n. 25.* ubi *Armilla n. 16.* neutrum posse alterum repetere. Tum, quia ialsum est professionem, cui falsa causa ansam dedit, esse irritam. Ut n. 20. probavimus. Tum etiam, quia uterque sciens alterius ingressum, videtur facto ipso licentiam concedere: secus quando ignorantia ingressus alterius adesset. Ut in simili diximus lib. 7. disp. 34. nu. ult. quando uterque conjux licentia non petita, professus.

13 Sed ne indecisum maneat, an professio illa ex errore divortii juste celebrati sit valida, oportet præmittere quæstionem generalem, an error sive dolus circa causam emittendi votum simplex, aut solemne, illud irritum reddat? Et prius sermo erit de voto simplici, deinde de professione solemni. Et quidem causa vovendi quandoque cum materia ipsa voti coincidit, estque pars ipsius. Ut quando quis vovit religionem, vel peregrinationem eo fine, ut sustineat labores illius. Et tunc si error, aut deceptio circa rem modicam fit, quia, scilicet, labor est paulo major mea opinione, obligat votum: secus si circa rem notabilem. Nam in priori casu non cessat voluntas, & consensus: qui tamen cessat in posteriori. Cum nil magis contrarium consensui sit, quam error, *l. Si per errorem, ff. de jurisd. omn. judic.* nec prior existimatio potest vere error, qui consensui adversetur, nuncupari. Cum in re modica sit. Atque ita sentiunt *Sotus l. 7. de justitia, qu. 1. art. 2. col. 6. vers. Scisciaris autem, Lud. Lop. 1. p. instr. c. 50. fin. Aragon. 2. 2. qu. 88. art. 1. fol. 967. col. 1. Manuel 2. 2. summ. c. 92. n. 4. Emm. Sa sum. verb. Votum, nu. 18. vers. Vovens religionem*. Res autem hæc parvi, aut magni momenti, in qua est error circa materiam promissam, non absolute pendenda est, sed respectu ipsius materiæ voti: ac proinde modicus error in quoddam voto erit magnus in alio. Ut si vovens peregrinari ad locum, centum leucis distare existimet, & decem aliis distet, modicus est error, nec votum annullabit: sed si existimaret distare 20 leucis, idem error in distantia aliarum decem esset notabilis, ac votum cessaret. Quia respectu centum sunt quid modicum decem: secus respectu viginti. Cassato autem hujusmodi voto ob errorem notabilem circa substantiam, erit similiter irritum votum circa accidentia, & accessoria: quamvis illorum notitia habita sit. Ut si quis existimans Romam distare centum leucis, cum tamen distet quadringentis, promittens illuc peregrinari sacco indutus, nec tenetur ad sacci indutionem, nec ad iter illud centum leucarum. Quia neutrum principaliter, & independenter promissum est, sed accessorie, & dependenter a Romana peregrinatione: ac subinde principali destructo corruit accessorium, quod ejus naturam sequitur. *Regula, Accessorium, de regulis juris, in 6.*

14 Maxime autem advertendum est, desiderari ut is error circa materiam promissam sit positivus, nec sufficere voventem minime advertisse difficultates, quas postea experiatur. Quare votum est validum, licet aliquis postea experiatur difficultates, quas prævidens non voviisset. Alias nullus esset in rebus humanis firmus contractus: sæpe enim contingunt aliqua, quæ si fuissent præcita, non celebraretur contractus. Et ratio hujus est, quia (ut optime docet *Valentia 2. 2. disp. 5. qu. 20. punct. 4. §. Ante probat.*) longe distant, aliquid velle conditionaliter, si talis circumstantia subsistat: & velle nulla apposita conditione; at volentem ita dispositum esse, ut si nosset etiam circumstantiam aliter se habere, non id voluisset. Prior enim modus est conditionalis: includitque expresse actum, quo quis revera non vult, ea circumstantia non ita se habente. At posterior minime est conditionalis, alias suspenderet voti obligationem usque ad conditionis eventum, sed voluntas absolute, & independenter fertur in illud objectum, nec includit actus ille, ut simul voluntas nolit circumstantia aliter se habente: sed tantummodo eam non fuisse valituram, si quamdam circumstantiam ignoratam nosset. Cum ergo res illa promissa, sit simpliciter, & absolute voti materia, & independenter a futuro eventu, seu a difficultatibus non prævisis, quæ retraherent a voto emittendo: non obstante ea inadvertentia, obligabit. *Cajet. summ. v. Votum, c. Votorum omissio quandoque vitiosa est, in fin. Armilla ibi, n. 12. Sotus l. 7. de justit. qu. 2. art. 1. ad 3. vers. Ex his, quæ dicta sunt, Navarr. sum. c. 12. n. 39. Valent. 2. 2. disp. 6. qu. 6. punct. 4. fin. Lud. Lop. 1. p. instruct. cap. 43. fin. Emm. Sa sum. v. Votum, n. 19. vers. Non ideo votum*. Unde dum dicit *D. Thom. 4. dist. 38. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1.* id quod emitti votum impediret, si præsens esset tempore quo vovetur, superveniens voto emisso, auferre eius obligationem: intelligendus est (ut bene ait *Sotus proxime citatus*) de eo, quod impediret, non quidem fieri votum, ob voventis voluntatem; sed de eo quod impediret consurgere obligationem ex voto tunc facto, v. g. morbus, qui impediret valorem, & obligationem voti, si voto superveniat, auferet obligationem: aut difficultas superveniens, quæ prævisa non impediret voti obligationem, sed illud fieri, non auferet ejus obligationem. Quod nu. seq. amplius exponetur.

Hinc infertur intellectus ad regulam, quæ tradi solet a Doctoribus, ad voti obligationem ex voventis voluntate tacita deprehendendam. Dicunt enim pro regula accipiendum, ut vovens minime obligetur ultra id, ad quod si cogitasset tempore emissi voti noluisset se obligare: atque ita minime obligari in eo eventu, quem excepisset, si ei occurreret, quando promisit, de eo ve interrogatus tunc, respondaret, mentem suam non esse, in eo eventu se obligare. Et ratio est, quia votum non obligat plus, quam vovens intenderit se obligare: at in eo eventu virtualiter voluit se non obligare. Sicut enim in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, *regula, in generali, de regula juris, in 6.* ita in promissione ii eventus minime comprehenduntur, quos in speciali, cum his, vel illis circumstantiis propositis, excipere vovens, dum promisit. Hanc regulam tradunt *Anton. c. Quemadmodum, n. 13. de jurejur. D. Anton. relatis. Innoc. & Abbate, 2. p. tit. 10. c. 6. §. 5. Angel. v. Pactum, n. 4.* ubi *Sylvest. qu. 4. Tabiena quæst. Armilla n. 2. idem Sylvest. Votum 2. qu. 17. fin. & Juramentum 4. 13. fin. & Juramentum 2. qu. 1. p. 3. Hostiens. summ. tit. de jurejur. n. 3. Armilla v. Juramentum, n. 35. Palacios 4. dist. 38. disp. 1. fol. 828. Navarr. summ. cap. 18. Hisp. n. 5. Latin. nu. 7. Angles Florib. 2 part. de voto, art. 2. diffic. 3. concl. 5. fol. 91. Enriq. lib. 11. de matrim. c. 14. fin. Franc. Garzia de contract. 1. p. cap. 3.* Sed hæc regula manifeste adversatur dictis nu. præced. ubi ostendimus non impedire voti obligationem eos eventus, qui si præviis essent, minime votum emitteretur: atque ita non sat esse, ut voti obligatio cesset, voventem eo eventu prævisio non se obligaturum. Ideo ut hoc clarius percipiatur, dictaque Doctorum concilientur, observandum est, hanc conditionalem propositionem, si Petrus prævidisset hoc, non se obligasset ad illud, fumi dupliciter; priori modo, in virtute voluntatis vovendi: posteriori, in virtute aliorum actuum vel habitum, quæ tunc sunt in vovente. In virtute voluntatis vovendi tunc est ea conditionalis, quando in objecto tunc volito, non continetur implicite, & virtute, aliud objectum, nec alius eventus: verb. gr. vovet quis dare eleemosynam Paulo pauperi, ex tali voventi voluntate sequitur, ut nolit dare Paulo jam diviti effecto. Quia ea non est eleemosyna, & ideo is eventus non includitur in objecto volito. Exemplum secundi modi, quando scilicet, si sciret, nollet se obligare in virtute aliorum actuum vel habitum, est, ut si quando vovit eleemosynam illam Paulo faciendam, actu vel habitu fures odio habebat, ita ut decerneret, se nunquam eis beneficturum: tunc si contingat Paulum esse furem, vel postea effici, sequitur fore, ut si vovens tempore promissionis id nosset, nollet illi eleemosynam porrigendam vovere: non quidem, quasi illa conditio includatur in virtute voluntatis vovendi, quia cum Paulus sit pauper, comprehenditur sub objecto eleemosynæ volito. Sed includitur ea conditio, in virtute alterius actus, aut habitus, nimirum odii in latrones. Itaque tunc conditio illa includitur in virtute voluntatis vovendi, quando eventus ignoratus non clauditur sub objecto promissionis. Tunc autem includitur in virtute aliorum actuum vel habituum, quando clauditur sub objecto promisso: at ex aliis actibus, vel habitibus voventis excluderetur is eventus, si tempore promissionis cogitus esset. Hoc ergo supposito, dico primo, quando is, qui vovet, haberet eam tacitam conditionem inclusam in virtute voluntatis vovendi, si hoc præmoisem, ad id non me obligaisem, non manere virtute voti ad id obligatum. Et in hoc casu verum dicunt omnes DD. allegati, dum asserunt obligationem voti minime exten-

extendi ad eum eventum, quem si præcogitasset vovens tempore promissionis, vel de eo interrogaretur, excepisset. Quoniam obligatio voti minime extenditur ultra voventis voluntatem, at in hoc casu eventus ille non continetur in objecto voti per promissionem. Secundo dico, si ea conditio solum includatur in virtute aliorum actuum, vel habituum voventis, maneret illum obligatum virtute voti ad illum eventum, quamvis si prænosset, excepisset utique illum. Nec in hoc casu intelligendi sunt prædicti Doctores: & in hoc sensu est verum quod diximus & probavimus n. præced. Et probat. amplius, quia quamcumque promittens virtute odii, quo actu, vel habitu est affectus tempore promissionis erga latrones, nullum eis bonum impertiri velit, recusaret, si nosset: at actu, & absolute, nullaque conditione apposita, obliget se ad largiendam eleemosynam illi pauperi, quem furem esse ignorabat: nec eum esse furem obstat, ne includatur in promissione illa dandæ eleemosynæ, cum includatur in vera eleemosynæ ratione: eo quod vere pauper est. Non ergo exceptus censetur hic eventus a voto ob illam tacitam conditionem, quod vovens si nosset, excepisset, nisi expresse tempore voti excepserit.

16 Specialis autem est difficultas, quando causa vovendi nec est res promissa, nec pars ejus, sed extrinseca, an error circa illam illiusve cessatio impediat valorem, ac voti obligationem. Ut si quis existimans re familiari destitutum se esse, votum religionis emittat, cum tamen vere dives sit, vel cesset ante ingressum ea paupertas. Et quidem *Anchar. c. Ex parte, el 2. nu. 4. de converſ. conjug.* universaliter tradit errorem causæ voti, ejusve cessationem non obstare obligationi voti. Quod probat *illud caput Ex parte*, ubi declaratur votum fuisse validum, licet causa cessarit. Deinde, quia in voto absque matura deliberatione emisso cessat debitus voti finis, nimirum, honor Dei: cum sit peccatum veniale sic vovere. At votum illud obligat. Sed *idem Anchar. c. Magnæ, nu. 13. de voto*, dicit cessationem causæ, emisso voto, supervenientem non exigere voti obligationem: secus si a principio falsa esset causa. Et *P. Molina t. 1. de juſtit. tr. 2. diſp. 209. fol. 121.* dicit errorem causæ, quæ promittentem induxit, regulariter annullare promissionem. Quoniam præsumendum est non esse promittentis animum intendere se obligare ea causa minime subsistente. At dicendum est, errorem causæ finalis, seu ejus cessationem, extinguere voti simplicis obligationem, secus si causa sit impulsiva. Et quando causa est finalis, probatur, quia vovens non absolute eam rem promissam vult, sed per modum unius cum illo fine, v. gr. Petrus existimans filium suum esse in extremo vitæ discrimine constitutum, vovet quo incolumitatem ejus consequatur, peregrinationem Romanam, tunc Petro non est voluntaria absolute peregrinatio illa, nec ab eo sic absolute promissa, sed per modum unius cum evasione filii ab eo periculo: si ergo ille finis non extet, quia falsum erat periculum illud, vel tempore promissionis filius objerat, votum minime voluntarium erit, ac proinde non obligabit. Explicatur secunda pars, quando est error circa causam, quæ licet ad vovendum impellat, non tamen est finis primo intentus: nec illum mutat, v. gr. vovet quis Romam peregrinari ob Dei honorem, inducitur tamen ad vovendum gratia invicendi fratrem, quem ibi falso existimat esse, vel licet tunc adesset, jam obiit: quamvis certior fiat de absentia fratris, tenetur ad votum: eo quod finis per se intentus adsit, licet causa impulsiva deficiat. Prob. ex *c. Magnæ, de voto*, ubi deciditur validum fuisse votum peregrinationis Jerosolymitanæ, licet defecerit causa impulsiva concomitans finem illius voti, nimirum, tractare cum Campaniæ Duce de cujusdam Ecclesiæ liberatione. Deinde, quia error non reddit irritum votum, nisi in quantum aufert consensum, aut circa promissionem, aut circa rem promissam: at existente dicto errore sunt voluntaria promissio, & res promissa, non tantum quoad suum esse materiale, sed etiam quoad formale, nempe quoad finem, ad quem per se ordinatur, in quantum est res illa promissa. Rursus, quia donatio ex communi omnium sententia non cessat ob solius causæ impulsivæ defectum, sed quando finalis cessat. Tandem, quia cessante causa finali legis, cessat lex, non autem cessante impulsiva. Ut late *Tiraq. tract. ceſſante cauſa, limit. 1. a num. 1.* votum autem est quædam privata lex, quam homo sibimet imponit. Atque ideo hanc sententiam clare colligo ex *Glossa cap. Magnæ, verb. Ut venires, de voto*, ubi dicit non obstante causæ cessatione obligare votum, eo quod absque illa votum fieret: ubi clare videtur loqui de causa impulsiva. Et eam tuentur *Anton. cap. Ex parte, el 2. num. 14. de converſ. conjug. Abb. dict. cap. Magnæ, nu. 4. Angelus Votum 3. num. 5. Sylveſt. Votum 2. qu. 9. Manuel 2. tom. ſumm. cap. 98. num. 2.* Nec obstat *c. Ex parte, in contrarium allegatum*. Quia id loquitur de religionis professione: in qua est diversa ratio. Ut dicemus n. 20. Nec similiter obstat alia ratio in contrarium adducta. Quoniam finis per se voti non est honorare Deum ipso voto immediate, sed sola re promissa: qui finis salvatur, quamvis in modo vovendi detur culpa.

17 In dubio autem, num causa falsa, vel cessans fuerit impulsiva an finalis, præsumitur eam esse impulsivam, ac proinde minime obligatio voti cæsabitur. Quia in omni voto causa finalis videtur esse cultus Dei media illa re promissa: ceteræ autem causæ videntur impulsivæ. Sic *Angel. & Sylveſtr. vu. præced. allegati*. Quod si votum duplicem habeat causam impulsivam, quamvis una cesset, obligabit votum: nisi intenderit vovens aliter non se obligare, nisi illa duplici causa existente. Sic *Sylveſt. ibid. Angel. Votum 3. n. 23. Philiarc. de offic. ſacerd. t. 1. p. 2. l. 3. c. 16. dub. 2.*

Hucusque de voto simplici egimus. Majus dubium est de voto solemni, ut de professione religionis, num irritetur ob errorem causæ finalis? Quidam enim eam irritam esse tunc existimant. Quoniam liberum consensum desiderat, sicut & votum simplex. Si ergo defectu consensus est tunc hoc irritum: ut diximus n. 16. erit similiter & illa. Atque ita docent *Anton. c. Ex parte, el 2. num. 14. de converſ. conjug. ubi Abb. n. 8.* Et clare videtur ibi tenere *Cardin. nu. 5. oppoſ. 2.* ubi ait errorem circa causam non vitiasse in eo textu professionem. Quia censetur impulsiva. Idem docent *Roſella verb. Divortium, n. 7. Lancellot. inſtit. juris canon. lib. 2. tit. de divortiis, paulo poſt princ. v. Falſa.* 18

At *Bart. repetit. aut. Ingreſſi, num. 18. C. de ſacroſ. Eccl.* distinguit, dicitque dolo commisso a legislatore prælato irritari professionem: secus si ab alio commissus sit. Alii autem censent professionem non irritari, sive ex dolo, sive ex causæ errore fiat. Quia vere non dicitur ille professus deceptus, eo quod conditionem suam in multo digniorem perfectioremque commutarit, *l. Deo nobis, C. de ſacroſ. Eccleſ.* quia ratione communis omnium sentent. habet, minorem dolo inductum ad profitendum non restitui, (ut diximus l. 7. disp 37.) ita sentiunt *Gloſſa cap. fin. in fin. 20. qu. 3. & ibi Archid. in fin. Bellam. ibi n. 3. Turrecr. in fin. Idem Gloſſa cap. Ex parte, el 2. verb. Falſa, de converſ. conjug. & c. Dudum, v. Spes, eod. tit.* ubi *Anton. n. 25. Anchar. nu. 11. idem Anton. c. Veniens, nu. 5. eod. tit. idem Anchar. dict. cap. Ex parte, el 2. num. 4. Abbas c. Cum dilecti, de empt. & vendit. Joan. de Friburg. ſumm. confeſſor. lib. 4. tit. 19. qu. 6. Navar. l. 3. conſil. in 1. edit. tit. de converſ. conjug. conſil. 3. nu. 4. Berojus cap. In præſentia, da probat. n. 123. Everardus in ſuis topicis, loco a matrim. ſpirit. ad carn. num. 1. fine, & ſeq. Crottus repetit. c. In civitate, n. 20. de uſuris, Padilla l. Rem majoris, num. 9. C. de reſcind. vendit. Flamin. de reſignat. benefic. lib. 13. qu. 3. num. 12. Manuel 1. t. ſumm. 2. edit. cap. 239. num. 2.* Temperant aliqui, nisi talis dolus sit, qui virum prudentissimum falleret. Sicut enim non quicumque metus professionem cæsat, sed cadens in virum constantem: ita nec quicumque dolus, sed is, qui in virum prudentissimum caderet. Idque colligunt ex *cap Cum dilectus, de his, quæ vi*, ibi: *Cum talis dolus non tam ad circumventionem prædilorum Ciſtercienſium, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri.* Ergo a contrario sensu, quando dolus non pertineret ad fatuitatem, sed in hominem prudentem merito caderet, vitiabitur professio. Sic *Innoc. eod. cap. Cum dilectus, num. 2. Hoſtienſis ad finem, ſuper verb. Fatuitatem, Jo. Andr. nu. 2. & 3. Anton. n. 19. Anchar. nu. 6. Abbas cap. 12. Imola num. 9. Dicitur cap. In præſentia, numer. 37. verſ. Et hoc ultimum, de prob.* ubi *Felin. num. 10. verſ. Secundo ſciat, Benedict. a Vadis in repertor. Felinus, verb. Profeſſio, nu. 2. Sylveſt. Religio 3. quæſt. 11. Navarr. c. Non dicatis 12. quæſt. 1. in 1. edit. num. 63. in 2.* vero *commentar. 2. de regul. nu. 31. Sfortias Oddus tract. de reſtitutione in integrum, 2. p. qu. 61. art. 5. num. 31.*

Ceterum dicendum est professionem non esse irritam, 20 quamvis ex dolo, & errore causæ finalis fiat, alias minime facienda. Prob. ex *cap. fin. 20. quæſt. 3.* quod est ex Concil. Magontiensi, ubi deciditur professionem dolo monachorum factam esse validam, at in doli pœnam privandos esse successione hæreditatis illius professi, & ex *cap. Ex parte, eo 2. de converſ. conjugal.* ibi: *Quamvis falſa ſit cauſa, per quam ad ſuſceptionem veli prædicta mulier eſt inducta: cum ſine qualibet tali cauſa idipſum religionis obtentu facere potuiſſet.* Ubi indistincte dicitur professionem mulieris, quæ falso existimans se posse a viro leproso recedere, ingressa est monasterium, validam fuisse, quia poterat absque ea causa profiteri, eo quod matrimon. nondum erat consummatum. Itaque solum considerat textus, num per professionem contraveniatur vinculo matrim. relicta, ac impertinenti ad professionum nullitatem falsitate causæ: & cum in eo statu non irrogetur injuria matrimonio, eo quod nondum est consummatum, deciditur fuisse validam professionem. Et ratio est, constituendo differentiam inter votum simplex, & sponsalia ex una parte, & inter matrimon. & professionem ex altera. Votum enim simplex comparatur sponsalibus, quæ non ob solum errorem personæ, sed ob multos alios errores irrita sunt: at professio comparatur matrimonio, quod irritum minime est, ex quocumque errore dante causam contractui ineatur, modo non sit error personæ, vel conditionis. Ut probavi lib. 7. disp. 18. num. 18. Et ratio hujus differentiæ est, quia modus tendendi voluntatis in objectum, absolute, & nulla apposita conditione illud amantis, est conformis naturæ ipsius objecti: unde quando voluntas eligit statum omnino fixum, & indissolubilem, ut est professio, & matrimon. electio ea est secundum modum congruentem statui permanenti: at valde incongruum est, & dissentaneum, statum sumere dependenter ab aliis rebus præter eas, quæ sunt de ipsius status substantia. Ex hujusmodi enim dependentia sequeretur, multas professiones, & pleraque matrimonia censenda esse irrita. Quod cederet in grave damnum, & scandalum reipubl. Quod minime contingit ex eo, quod sponsalia, & votum simplex ex tali dependentia irritentur. Ex quo fit ut voluntas absoluta contrahendi matrimonii, aut profitendi, eo ipso, quod veritatur circa hujusmodi statum perpetuum, includat virtualem voluntatem status illius eligendi, etiamsi erretur in quantumcumque magnis circumstantiis illius status. Et per hoc respondetur ad argum. contrarium, n. 18. propositum. Hanc senten. vocantes oppositam, quam n. 18. retusi falsam, docent *Sylveſt. v. Divortium, qu. 22. n. 25. & ibi Armilla n. 16.* & videntur aperte sentire *gl. fin. c. Cum dilectus, de his, quæ vi, & c. final. in fine, 20. quæſt. 3. Everard. Crottus & Flamin. quos nu. præced. allegavi*, comparant enim professionem matrimonio, dicentes neutrum ex falsa causa, & dolo vitiari: cum tamen constet matrim. ob solute personæ, aut conditionis errorem irritum reddi. Et favent omnes DD. quos nu. præced. retuli, cum absolute doceant professionem non reddi irritam, ex falsa causa factam. Nec admittenda est limitatio, quam aliqui ibi relati ponunt, nisi dolus ille in virum prudentissimum cadat. Quia si non sit dolus circa substantialia, quamtumvis justus sit, ac in virum prudentissimum cadens, non vitiabit professionem: sicut nec vitiat matrimon. Cum in hac parte (ut diximus) æquiparavit, Et ita *Berojus c. In præſentia, n. 123. de probat.* eam reprobat. (Si autem sit receptio circa substantialia, an id requiratur, dicemus n. 22.) Nec obstat simile de metu, qui irritat matrim. quando est cadens in virum constantem. Nam id decrevit Ecclesia, eo quod tollat perfectam consensus libertatem. At dolus cadens in virum sapientissimum, quando non est circa professionis substantialia, non tollit libertatem requisitam, ad professionem, sicut nec ad matrimon. cui æquiparatur: Nec obstat etiam argumentum a contrario sensu, & *c. Cum dilectus, de his, quæ vi*, cui DD. oppositi innituntur. Nam respondet bene *Berojus proxime citat.* illud argumentum vim non habere, quando inde resultaret absurdus intellectus, & rationi disonans. Ut notant scribentes, *lib. 1. §. Hujus rei, ff. de offic. ejus, Everardus in ſui topicis, loco a contrario ſenſu, nu. 7.* Id demum observandum censeo, valde mihi displicere rationem, qua communiter utuntur DD. nu. præced. allegati, ad probandum non vitiari professionem dolo factam: eo quod non dicatur deceptus is, cujus conditio melior effecta est. Ea etenim ratio optime concludit minime dandam minoribus restitutionem, quoad professionem, si circa conditur quoad alios contractus, in quibus læsi sunt. Quia in aliis contractibus præfumit jus eos ratione minoris ætatis deceptos esse: quod in professione præsumi nequit: eo quod perfectiorem statum elegerint. Atque quoad valorem professionis solum attenditur, num error, & dolus talia sint, ut consensum abstulerint necne? Et quando consensus tollitur, ut quando circa substantialia contingit dolus, vitiatur professio: & vere dicitur is professus deceptus. Quoniam is status, quamvis perfectior, liberam electionem desiderat: cui dolus obstitit.

21 Hinc deducitur, solum errorem, vel dolum circa substantialia, irritare professionem, sicut & matrim. Ut si quis putaus se profiteri in quadam religione, v. g. D. Dominici, profiteretur in D. Francisci religione. At quando esset notabilis deceptio circa institutum, & substantialia regulæ, quam profitetur ille. Talis enim error liberam voluntatem tollit. Cum nil magis consensui, quam error adversetur, *l. Si per errorem, ff. de juriſd. omn. judic.* Et amplius constat ex dictis num. præced.

22 Et dum talis error circa substantialia contingit, nil refert, fatuus ne sit, an in virum prudentissimum cadens, utroque enim casu irritabit in foro conscientiæ professionem, quia vere consensum aufert. Sicut error fatuus quo quis existimaret se ducere Mariam, cum tamen esset alia persona, cassaret matrim. Nec est simile de metu. Is enim nunquam voluntarium consensum aufert, sed tantum perfectam libertatem: & ideo jure optimo statutum est, ut solum casset matrim. & professionem, quando est metus viri constantis. Quare dum DD. n. 19. allegati petunt ad professionis irritationem, ut dolus in virum prudentissimum cadat, loquuntur ad præsumptionem fori externi: quod minime dolum in alio eventu præsumet. Quod si instes, eum errorem fatuum, seu vincibilem non excludere consensum, cum minime excusет a culpa transgressionis præcepti: quam utique excluderet, si actus ex eo errore procedens esset involuntarius. Admitto non omnino excludere voluntarium: at actus ille est voluntarius indirecte, & in causa. Quale voluntarium minime sufficere ad valorem sponsalium matrim. aut voti, probavimus lib. 1. disp. 8. n. 21.

23 Tandem ex his decidenda est quæstio n. 13. proposita. An sit valida professio uxoris, quæ credens falso divortium juste celebratum esse, professa est, viro jam professo, aut in sacris constituto? In quo casu *Roſella v. Divortium, n. 7.* dicit non esse validam professionem. Quia falsa causa illi ansam dedit: & professio vitiatur ex falsa causa finali: At contradicunt *Sylv. v. Divortium, q. 22. n. 25. Armilla ibi n. 16.* Tum, quia falsum est vitiari professionem ex falsa causa finali. Tum etiam, quia ea falsa existimatio divortii juste celebrati, non est causa finalis professionis, sed impulsiva, professionis enim finis communiter est, servire Deo in religione. Quibus assentior, Quia vel illa professio erat irrita ob falsam causam divortii justi. Et hoc non: ut probavi nu. 20. aut ob injuriam irrogatam alteri conjugii. Et hoc etiam non. Quia jam eum ille professus sit, aut sacris initiatus, jus non habet repetendi: ut probavi n. 12. & quantum est ex parte sua, cessit jure suo, ac proinde nulla afficitur injuria. Si autem professio illa fieret altero manente in priori statu, nimirum, ante ordinem assumptum, aut religionis ingressum: esset invalida, in quantum est in præjudicium alterius conjugis: unde eo repetente, cognita injustitia sententiæ divortii, teneretur ad matrim. redire, at non posset debitum petere, ut n. 9. probavimus.

SUMMARIUM.

Quando fornicatur conjux, qui erat innocens, & nondum lata est divortii ſententia, tenetur conjugem adulterum dimiſſum ſibi reconciliare, n. 24.

Poſt latam divortii ſententiam, an poſſit accuſari conjux ille reputatus innocens de priori adulterio, 25.

Quid, ſi is, qui ante ſententiam divortii fornicatus fuit, ſit jam profeſſus, vel in ſacris conſtitutus, num. 26. remiſſive, ſi novitius exiſtens, vel in minoribus conſtitutus, vel voto ſimplici ligatus fornicetur.

An ſi lata divortii ſententia conjux prius innocens adulteretur, ſit reſtituendus alteri conjugi compenſatis adulteriis. Refertur triplex ſententia, 27. 28. & 29.

Proponitur ſententia Authoris: & explicatur quando judex officium ſuum impertiri debeat nu. 30. & ibi quid, ſi ſententia nondum tranſiit in rem judicatam: vel damnatus ſit minor, & petat reſtitutionem.

An debeat judex ex officio compellere conjugem ſic fornicantem, ad reconciliationem, 31.

An judice non compellente, teneatur in foro conſcientiæ reconciliari, 32.

Quid, ſi coram judice neget adulterum poſt ſent. divortii, falſiſve teſtibus ſe tueatur, an ſit cogendus, redire in foro conſcientiæ, ac fateri veritatem, 33.

An ſi conjux innocens ſit jam ſeparatus ſententia Eccleſiæ præcedenti, aut abſque ea, & fornicetur poſt profeſſionem, aut ordinem ſacrum aſſumptum, ſit reſtituendus priori adultero, n. 34. Et ibi, quid, ſi poſt votum ſimplex, aut ordines minores, vel novitiatus tempore.

Quid, ſi fornicetur lata ſententia divortii, nondum tamen mutato ſtatu, & jam ſit profeſſus, vel in ſacris, velitve ad eum ſtatum migrare, an ſit reſtituendus alteri conjugi, 35.

An ſi lata divortii ſententia conjux innocens fornicetur, poſſit jure actionis repetere eum, qui prius adulteratus fuerat, num. 36.

An uxor privata dote ob adulterium, illam recuperet, ſive jure actionis, ſive ex officio judicis, viro poſtea in adulterium lapſo: vel reſtituere eam teneatur vir, 37.

Solvuntur argumenta: & enodatur cap. Ex litteris, de divort. num. 38.

QUæstio III. An conjux adulter dimissus sententia divortii præcedenti, jus habeat repetendi innocentem, si tunc is in adulterium labatur: ac mutuo utrumque adulterium compensetur? Et quidem, quando ante divortii sententiam contingeret innocentis lapsus, constat inter omnes DD. nu. 27. 28. 29. & 30. referendos, teneri hunc redire ad conjugem dimissum. Nam mutua illa delicta compensatione abolentur, nec refert ut prius adulterii reus fuerit. Ut disp. 6. n. 6. probavimus, & tota illa disp. 24

Imo & jam divortii sent. lata, potest conjux dimissus ac- 25 cusare ad matrimon. instaurandum, alterum conjugem, de adulterio ante sent. ab eo commisso. Ut contra *Jo. Andr. c. final. in fin. & ibi Anton. n. 8. de adulter* tuetur *Anchar. eo c. final. num. 5.* Duciturque, quia ubi ad idem competit actio, & exceptio, quamvis delictum non fuerit deductum in judicium per viam actionis, potest is, qui non deduxit, postea agere. Ut observat *Innoc. c. Super ſpoliatione, nu. 2. ſtatim in princip. de ordine cognit.* & constat in compensatione debiti, non opposita exceptione, ad quod recuperandum potest agi postea, *l. Vendicatis, ff. de evictione.* Deinde, quia quando re vera uterque erat adulter, in neutrius favorem, aut odium sent. transiit in rem judicatam. Ut nu. 7. probavimus. Quidquid tamen sit in foro externo, certum est in foro conscientiæ teneri illum conjugem sibi alterum reconciliare: nec fibi sententiam injuste obtentam suffragari. Cum enim delicta compensarentur, nullum divortii jus illi competebat.

Quidam autem temperant, ut conjux fornicans ante sent. 25 divortii, teneatur redire ad conjugem ob adulterium dimissum, nisi ille dimittens sit jam post fornicationem admissam, professus. Tunc enim tenetur redire, nec alter conjux potest eum repetere. Quoniam novus homo per professionem effectus est. Sic *Guillel.* relatus ab *Abb. c. Veniens, n. 7. de converſ. conjug.* Idem docent *Palud. 4. diſt. 35. qu. 2. art. 2. n. 14. & ibi Supplem. Gabr. q. un. art. 2. poſt 9. concl. verſ. Sed quid ſi nocens*, ubi tradunt uxore fornicante, posse virum postea adulterium committentem, quamvis non sit lata divortii sentent. religionem ingredi, aut ad sacros ordines promoveri: & ducuntur, quia sicut ante matrim. consummationem potest conjux religionem ingredi, quod jus minime perditur fornicando, sed tenetur reddere, nisi eligat religio-

ligionis ſtatum. Ita uxore fornicante poſt conſummatum matrim. poteſt innocens ad religionem, vel ordines tranſire: & ſi vir ſit adulter, poteſt uxor ad religionem migrare. Jus autem hoc efficiendi non amittitur eo, quod conjux ille innocens labebatur poſtea in adulterium. Quoniam per alterius fornicationem acquiſierat jus non reddendi, & vovendi: ubi autem ipſe poſtea fornicatur, amittit jus non reddendi: ſed non jus vovendi. Quare tenetur vel reddere, vel ſtatum mutando vovere. Sed omnino ab hac limitatione recedendum eſt, & dicendum non licere conjugi innocenti, qui ante divortii ſent. in adulterium labitur, ad alium ſtatum tranſire: quod ſi tranſeat, poſſe revocari ad uſum matr. ab altero conjuge, in cujus præjudicium ille nequit proficeri, ordinemve aſſumere. Nam eo ipſo, quod ante divortii ſent. adulterium admiſit, compenſantur delicta, ut dixi n.24. & redit matrim. ad priſtinum ſtatum, in quo neutri conjugi, divertere gratia tranſeundi ad aliud ſtatum, permittitur. Atque ita docent *Hoſt. c.Veniens, n.7. de conver. conjug. & ibi Jo. Andr. n.5. Ant. n.9. Abb. n.7. Anchar. n.6. Cardin. q.5. Nav. l.5. conſil. in 1.edit. tit. De adulter. conſ.1. nu.4. & 5. in 2. vero, lib.3. de converſ. conjug. conſ.9. n.2.* Quid vero teneatur facere conjux poſt oriones, vel profeſſionem reſtitutus alteri conjugi? dixi n.9. Et an poſſit mutare ſtatum, quando ejus fornicatio contingit poſt latam divortii ſententiam? dicam n.35. & quando contingit jam mutato ſtatu, dicam nu.34.

27 Potiſſima autem quæſtio diputanda eſt. An ſi lata ſententia divortii contingat innocentem labi in adulterium, compenſentur mutuo delicta, ac proinde compellendus ſit ad conjugem adulterii cauſa dimiſſum redire? In qua diſp.4. invenio ſent. Prima ait compenſari adulteria, & ita jure actionis competere conjugi dimiſſo repetitionem alterius. Ducitur 1. quia *c.Ex litteris, de divort.* expreſſe habetur celebrato divortio innocentem conjugem, qui ad alias tranſiit, nuptias, compellendum eſſe ad priorem uxorem redire. Atque interveniſſe divortii ſententiam, notat *ibi gl. v.ad invicem*, colligens eo, quod textus aſſerat convocato capitulo de ejus conſilio Epiſcopum ſeparaſſe conjuges illos. Quod idem docet *Abb. c.D: illa, n.3. de divort.* Secundo, quia conjuges jure divino nequeunt ſeparari, niſi ratione fornicationis: ergo ſi uterque fuerit fornicatus, debent iterum conjungi. Nec refert ſi fornicatio admiſſa ſit ab innocente poſt divortii ſententiam, quia ſententia hominis non aufert jus divinum compenſationem adulteriorum admittens. Et confirm. quia poſteriori adulterio admiſſo, facta eſt compenſatio ſententiæ commodum extinguens. Pleraque enim ſunt, quæ rei judicatæ præponderant: nimirum, vinculum matrim. perſiſtens, adulterium innocentis, æquitas compenſationis, periculum adulterandi, facilis ad priſtinum ſtatum regreſſus, cui jura favent, *c.ab exordio, 25. diſt.* Tertio, quia divortii ſententia minime præſtare debet adulterandi anſam: ergo ſi innocens, in cujus favorem lata eſt, poſtea adulteretur, reddendus eſt alteri. Quarto, quia ſententia divortii tacitam includit conditionem, in favorem innocentis, niſi ipſe velit conjugem adulterum repetere. Ergo in favorem adulterii includitur etiam tacita conditio, ſi innocens continens fuerit: ac proinde eo incontinentiæ reo non ſubſiſtet ſententia. Alias hæc non incluſa conditione, eſſet inæqualis litigantibus, ac ſubinde injuſta. Tandem, quia non eſt in pœnam poſterioris adulterii, ſed ex natura contractus matrim. quod tacitam conditionem claudit, ut altero non ſervante fidem, liceat alteri divertere: & utroque conjuge fidem frangente, compenſentur delicta (ut probavimus hoc lib. diſp. 1. nu.4. & diſp.5. n.23.) Ergo ſtatim, ac innocens labitur in adulterium, integrum eſt alteri petere reconciliationem, & tenetur ille nulla judicis coactione expectata admittere. Et ideo hanc partem (quæ valde probabilis eſt) tuentur ex Juriſperitis, *gl. c.fin. in fin. adult. & c.Ex litteris, v.ab invicem, de divort. Hoſt. eodem c.Ex litteris, n.2. & c.Veniens, n.7. de converſ. conjug. & Sum. tit. de divort. n.9. Jo.Andr. c.fin. n.5. de adult.* ubi *Anton. n.8. Anchar. n.5. Ananias n.3. in ſolut. ad 1. qu. Idem Jo.Andr. diſt. c.Ex litteris, n.10.* ubi *Anton. n.9. Anchar. n.5. fin. & n.13. Card. n.5. oppoſit.3. Præpoſ. num.12. Henric. n.14. Idem Præpoſ. c.De illa, nu.6. de divort.* ubi *Alex. de Nevo n.6. Felin. c.Lator, declarat.8. nu.9. de ſent. & re judic. Navar. l.4. conſil. in utraque edit. tit. de divort. conſ.1. n.2. & 3. Lex 6. t.10. p.4. Greg. Lop. l.8. v.Eſſe miſmo, t.2. p.4. Maynerius, l.In ambiguis pro dote, n.207. ff. de reg. juris Cov. 4.decret. 2.p. c.7. §.6. n.5. Gutta repet. cap.ad limina 30. q.1. §.4. n.228. Jul. Clarus l.5. recept. §.adulter, verſ.Facta autem ibori ſeparatione, Anton. Gabr. t.1. comm. opin. in mea edit. l.1. fol.21. col.2. & fol.25. col.2. Barboſa l. Viro, atque uxore 40. n.3. ff. ſolut. matrim. Surd. de aliment. t.7. q.10. n.52.* Et ex Theologis *D.Bonav. 9. d.35. art.un. q.5.* Et quamvis ibi non ſatis explicet, an hoc loquatur lata ſententia, at ex ſolutione argum. conſtat, *D.Ant.3.p. t.1.c.21. §.6. verſ. Item nota, quod ſi poſt divortium, Palud.4.d.35.q.2.ar. 2. n.14.* limitatque niſi is velit religionem ingredi, aut fieri ſacerdos. *Supplem. Gabr. ibi, qu.un. art.2. poſt 8.concl. verſ. Sed ſi innocens, Petr. de Soto lect.12. de matr. col.penul. Palac. 4. diſt.35. diſp.un. dub.4. col.20. fol.790.* limitans, ſi prior conjux jam ſit correctus. *Angl. Flor. 1.p. de matr. qu.9. de divort. art.2. diffic.6. Graſſis 2.p. deciſ. l.1. c.12. n.73. caſ.3. Lud. Lop. 1.p. inſtr. c.295. §.Præterea quia non eſt facile, v. Ceterum eſt prædicta, & 2. l.inſtr. de matr. c.54.* ubi de divortio quoad habitationem, *§. penult. Cannedo ſum. Sacram. de matrim. c.7. n.57. caſ.1.* & videtur tenere *Veracr. 3.part. Specul. art.1. concl.5. caſ.1.* ubi ait fornicantem poſt divortii ſent. compellendum eſſe ad reconciliationem. Non tamen clare explicat, an jure actionis, vel ex judicis officio?

II. Ententia eſt aliquorum, quos tacito nomine refert Pa.28 *lud. n.præced. alleg.* qui ſic diſtinguunt. Si prius adulterans petat priſtinus adulterium, eſt ibi reddendus, niſi hic velit ad ſacros ordines religionemve tranſire. Quia ſententia hominis non aufert jus Divinum, præjudicans ut fornicans poſterius non poſſit priorem repellere, ſed fiat delictorum compenſatio. Si vero poſterius fornicans petat priorem, non eſt prior cogendus. Quia ultima culpa præjudicat.

Tertia ſent. aſſerit, nec ex officio judicis reſtituendum eſſe 29 alteri conjugem innocentem, qui poſt divortii ſententiam adulterium admiſit. Quoniam ſent. illa tranſiit in rem judicatam, in favorem innocentis (ut diximus nu.4.) Nec eſt textus committens judici, ut ex officio ſuo id efficiat. Ita *Goffred. ſumm. tit. de divort. n.13.*

Quarta ſent. (cui adhæreo tanquam probabiliori,) aſſerit 30 nullam actionem acquiri conjugi adultero, ut repetat innocentem, quia poſt divortii ſententiam adulteratus eſt, atque ita ea delicta minime compenſari: integrum tamen eſſe judici ut ex conciliet ex officio ſuo illos cogens, quo fornicationis periculo conſulatur. Prob. prior pars, nimirum, non dari actionem. Quia ſemel bene definitum, minime tractandum eſt, *c.Quod bene, 6. q.4.* ex Nicolao I. junctа *gl.v.Diſſinitum*, ubi explicat, a judice per ſententiam. Secundo, quia jervitus ſemel amiſſa non renaſcitur, *c.Queris, de conſecr. diſt.4. l.Stichum, §.Aream, ff. de ſolut.* Servitus autem conjugis innocentis amittitur, lata ſententia divortii. Non ergo ipſo poſtea adulteranте renaſcitur. Tertio, quia licet adulterii exceptio per ſimile adulterium extinguatur: at exceptio rei judicatæ, quæ obſtat priori conjugi repetenti, minime aboletur per crimen poſt ſententiam admiſſum. Quarto, quia divortii ſententia abſolvit innocentem a debito conjugalis ſocietatis: diſſolvitque contractum matrim. quoad jus thori, & habitationis, manente vinculo. Quare innocens poſtea fornicans, reus erit adulterii in ordine ad Deum, ob vinculum matrimonii perſeverans: non tamen peccabit adverſus conjugem dimiſſum, nec illi injuriam inferet, utpote qui jure in illius corpus deſtitutus erat per ſententiam. Sicut conjux altero connivente fornicans, reus eſt adulterii in ordine ad Deum, ratione matrim. non tamen in ordine ad conjugem conniventem, cujus injuria ceſſat. Sicut ergo in hoc eventu non datur actio aliqua conjugi conniventi, ut ob id adulterium petat divortium, eo quod ejus injuria ceſſet, quæ fundamentum eſt actionis ad petendum adulterium: ita in illo, neganda eſt actio ad repetendum conjugem fornicantem poſt ſententiam: cum ſimiliter injuria ceſſarit, quæ fundamentum eſt mutuæ delictorum compenſationis, & actionis ad repetendum. Quinto, quia ſententia divortii non fertur ſub conditione aliqua in favorem rei, nimirum, ſi innocens continuerit, cum omnino in odium ipſius tranſeat in rem judicatam, (ut n.4. diximus) cum ergo abſolute, & in perpetuum abſolvat innocentem a matrim. ſervitute, ad illam ſequens adulterium minime revocabit. Eo vel maxime, quod id jure cautum non inveniatur: imo omnia jura clament ſententiam rite latam revocandam non eſſe. Prob. 2. pars, nimirum, officio judicis conjuges illos reconciliandos, quando eſt periculum adulterii. Quia juxta doctrinam *Bart. l.4. §.Hoc autem judicium, n.2. ff. de damno infecto*, quam approbat *Navar. l.5. conſil. tit. de adult. in 1.edit. conſ.2. n.1. in 2.* vero *conſ.un. nu.1.* dicens communiter eam recipi; poteſt judex uti officio ſuo nobili in publicam utilitatem, & miserabilium perſonarum, & alia pia, qualis eſt ſalus animæ. Item, quia delictum ſuperveniens præjudicat rei judicatæ ob animæ periculum, ex judicis officio. Et ideo hanc ſent. tuentur, ex Juriſperitis, *Jo.relatus a gl.fin. c.ult. de adult. c.Apoſtol. v.Viro 32. qu.7. & ibi Philip. & Laur.* quos refert, & ſequitur *ibi Archid. n.un. ſuper gl. Mulieri, & ibi Bellar. n.2. Innoc. c. De illa, n.un. v.De aliis, de divort. & ibi Jo.Andr. num.2. Abb. c.fin. n.5. de adult. & c.Ex litteris, nu.11. de divort.* ibi *Alex. de Nevo n.19. Alber. in diction. lit.D. v.Divortium, §.Divortium ſecundum, v.Poſt latam ſententiam: & lit.M. v.Matrim.8. c.Qui ſi aliquis conjugum, Jo. de Friburg. Sum. confeſſ. l.4. t.22. q.13. Monald. Sum. tit. divortio, §. Propter quid divortium fiat, v.Item ſi lata, Sylv.v.Divortium, qualt. Montal. l.6. fin. t.10. p.4. Turrecr. c Apoſtol.32. q.7. art.1. n.1.* Et ex Theologis *D.Thom. 4. d.35. qun. art.6. ad 4. & ibi Durand. q.2. art.2. n.9. Vincent. Speculo doctrin. t.2. l.10. c.44. Abul. c.19. Matth. q.76. ad 4. Sotus d.36. q.un. art.6. ad 3. Enriq. l.11. de matrim. c.17. n.3. Bart. a Led. dub.70. de matrim. ad fin. Petr. de Led. de matrim. q.62. art.6. dub.un. concl.2. Philiar. de offic. ſacerd. t.1. p.2. l.2. c.17. ad fin. Bernard. Velloſillus*, quem refert, & ſequitur *Vega 1.t. ſum. c.13 caſ.13.* Intelligenda tamen eſt hæc opinio, quando ſententia illa divortii tranſiit in rem judicatam: eo quod decennium appellationi conceſſum, ſit tranſactum: vel ſi fuerint tres ſententiæ latæ. Nam ſi id non ita ſe habeat, perinde reputandum eſt, ac ſi ſententia non præceſſiſſet adulterium poſterius. Quia virtus ſententiæ eſt ſuſpenſa. Atque ita rationes omnes, quibus hæc ſententia innititur, ſolum probant, quando jam ſententia omnem firmitatem obtiner. Similiter eſt dicendum idem, quando ſententia illa tranſierat in rem judicatam, ob lapſum termini appel-

appellandi: ac damnatus erat minor, petitque beneficium reſtitutionis adverſus lapſum illius termini; (idem beneficium reſtitutionis ſibi competit in hac re, & reſtituitur ad priſtinum ſtatum, ac ſi ſententia non tranſiiſſet in rem judicatam: & ita ſuſpenditur vis illius ſententiæ: ut bene *Maranta pract. part.6. c.Et quandoque appellatur, nu.77. & ſeqq.*) tunc enim jure actionis poſſet petere conjugis poſt adulteriantis reſtitutionem: ac ſi adulterium illud contigiſſet ſuſpenſa ſententia per appellationem. Quia per beneficium illud reſtitutionis ad eum ſtatum redit ſententia, Secus ſi id beneficium minime imploret.

31 Debet autem judex ex officio, licet alter conjux minime petat, hos conjuges reconciliare. Quia prælatus ut paſtor animarum tenetur periculis incontinentiæ occurrere. Sic *D.Th. Vincen. Jo. de Friburg. Monald. Abulen. Sylv. Petr. de Soto n. præced. allegati, Greg. Lop. l.6. v.Puede, t.10. p.4. Palacius 4. d.35. diſp.un. dub.4. fol.790.* Hoc autem intelligendum non eſt regulariter; ſed ſolum, quando manifeſtum eſſet periculum conjugum, & aliorum ſcandalum. Sic *Sot. Bart. a Ledeſm. n.præced. relati, Vega t.1. ſumm. cap.13. caſ.13.* Imo *Sotus, & Bart. a Led.* recte dicunt minime teneri judicem uti medio tam rigido, niſi conjux ille prius innocens peritiſſime viveret, magnum ſuis adulteriis ſcandalum generans; At poſſe compellere in pœnam, ob ejus conjugis ſcandalum.

32 Hinc deducitur, quid dicendum ſit, num in foro conſcientiæ teneatur vir fornicans poſt divortii ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam, admittere uxorem ob adulterium a ſe derelictam. Id enim affirmant aliqui: eo quod adulteria compenſentur. Et quia ſicut per proprium adulterium amittit conjux jus exigendi debitum, ita ipſo jure recuperat altero adulteraute Sic *Durand. 4. d.35. q.2. art.2. nu.8. Majoris ibi, q.1. fin. Palud. Supplem. Gabr. Petr. de Soto, Nav. Henric. Jul. Clar. Cannedo, Angl. Lud. Lop.* quos omnes n.27. retuli, *Tabien. Matrim. 4. n.1. caſ.1. Armill. v.Matrimon. n.73. caſ.1.* Temperant *Durand. Majoris, Palud. & Supplement. Gabr.* niſi vir velit ſacros ordines ſuſcipere, & ob id fugiat bigamiam, Addunt *Palud. Major. & Supplem.* vel velit religionem ingredi. Sed verius eſt minime teneri donec per Eccleſiam compellatur. Quod docent *gl. c. Apoſtolus, v.Viro 32. qu.7. Abulenſis, Sotus, Bart. a Led. Petr. de Led. Enriq. n.30. relati, Emm. Sa ſum. v.Divortium, n.2. verſ.Poſt divortium.* Et ratio eſt. Quia ex officio cogi, eſt in pœnam fornicationis, & ob periculum fragilitatis: eo quod conjux abuſus fuerit libertatis privilegio. Sic enim vocant hoc pœnam *Sotus, Enriq. Bart. a Led. ibid. Turrecr. cap. Apoſtolus 32. q.7. art.1. n.1. Philiarc. de offic. ſacerd. t.1. p. 2. l.2. cap.17. ad fin.* Ad pœnam autem nemo tenetur ante judicis ſententiam. Deinde, quia ad id non tenetur ex juſtitia, eum per ſententiam a conjugali conſortio abſolutus ſit, nec delicta compenſentur in hoc caſu ita (ut n.30. probavi.) Nec etiam ex charitatis lege. Quia hæc non obligat cum detrimento notabili proprio, nec extra graveм neceſſitatem, cui aliter ſubveniri poteſt. Quæ omnia hic deſiderantur. Nam grave conjugis detrimentum eſt admittere. Cum ſe matrim. ſervituti, a qua liber erat ſubmittat, nec poſſit ſemel admittendo ad alium ſtatum perfectiorem migrare: & ſi vir ſit, qui admittit uxorem, ſit bigamus, & magnam honoris jacturam faciet. Nec reputatur gravis neceſſitas. Poteſt enim aliis modis fragilitati conjugum conſuli.

33 Secundo infertur, conjugem poſt ſententiam divortii fornicantem, non teneri crimen fateri coram judice interrogante: niſi indiciis, aut ſemiplena probatione præcedente: ſicut quando judex de aliis delictis interrogat: imo niſi præcedat infamia, Quia judex in hac cauſa procedit ex officio (alteri enim conjugi denegatur actio; ut dixi n.30.) quando autem judex ex officio procedit, infamia defideratur, ut reus teneatur reſpondere, *c.Inquiſitionis, de accuſat. §.Tertia, & c.Cum oporteat, eod. tit.* Quod ſi juridice rogatus neget, vel fallis teſtibus ſe defendat, atque ita non cogatur ad conſortium conjugale redire; exiſtimo eum non teneri in foro conſcientiæ. Quia eſt pœna (ut dixi n. præced.) reus autem fallis probationibus abſolutus, minime tenetur ad pœnam, qua juſte damnandus erat. Ut probavi diſp. præced. n.14.

34 Dubitabis forſan, quid dicendum ſit, ſi conjux innocens, qui ob adulterium alterius divertit, jam mutato ſtatu factus religioſus profeſſus, vel ſacro ordine initiatus fornicetur, an reſtituendus ſit alteri adultero dimiſſo repetenti, vel ſaltem ex judicis officio? Triplex poteſt eſſe caſus. I. Quando ante ſententiam, ſtatuque immutato, fornicationem admiſit, ac poſtea ſtatum mutavit. II. Quando ſtatu mutato contigit fornicatio, ſive præceſſerit ſententia divortii, ſive non. III. Quando fornicatus eſt poſt ſententiam divortii, nondum tamen mutato ſtatu, aut vult mutare, vel jam mutavit, quando iis intentatur. Et de 1. caſu dixi n.26. In 2. autem caſu, quando jam factus religioſus profeſſus, fornicatus eſt, minime poteſt a monaſterio extrahi propter fornicationem. Quia jus acquiſitum monaſterio non perditur ob monachi delictum. At ille conjux innocens ob adulterium alterius notorium potuit religionem ingredi. Sic *Gloſ. c.Veniens, v.Sponte, de converſ. conjug. & ibi Innoc. nun. ſuper v.Continuit, Hoſt. n.6. Jo. Andr. n.5. Anton. n.8. Abb. n.7. Anchar. nu.5. Cardin. qu.4.* nec explicant hi DD. num ſententia præceſſerit divortii, & ita utroque caſu intelligendi ſunt. Quia cum ob adulterium notorium non præcedet ſententia divortii liceat conjugi divertere, & ſtatum mutare, eo profeſſo jam in religione, jus eſt acquiſitum monaſterio: quamvis ſententia divortii minime præceſſerit. Quare per ſequentem fornicationem jus illud acquiſitum auferri nequit. Idem docet *Palud. 4. diſt.35. q.2. art.2. n.14.* explicans, ſive præceſſerit divortii ſententia, ſive non. *Ovand. 4 diſt.39. quæſt. propoſit.15.* Et ait eſſe contra multos Juriſperitos contrarium tentientes, propter *c.Ex litteris, de divort.* Sed non loquuntur Juriſperiti, quando jam profeſſus fornicatus eſt. Ut conſtat ex iis DD. quos retuli. Similiter idem dicendum eſt de viro, qui dimiſſa uxore ob notoriam fornicationem, ad ordines ſacros eſt jam promotus, ſi enim eo ſtatu aſſumpto fornicetur, non eſt ad uxorem revocandus. Quia jam ſtatus eſt mutatus, & jus acquiſitum eſt ſtatui illi immutabili, cui per ſequentem fornicationem præjudicari nequit. Et tunc delictorum compenſatio fit, quando res in eodem ſtatu permanent. Atque ita docent *Palud. eodem n.14. Archid. cap. Si cujus, n.un. verſ.In ea gloſ.* ibi: *injuriam faciat*, 34. *p. Cardin. Alex. ibi, & Dominicus ibi, in fin. Greg. Lop. lib.8. v.Eſſe miſmo, tom.2. p.4.* Si tamen ſententia divortii non præceſſerat, & dum fornicatur, eſt novitius, vel in ſolis minoribus ordinibus conſtitutus, vel ſolo ſimplici caſtitatis voto ligatus, credo eum teneri redire ad uxorem. Cum enim ſtatus hic non ſit invariabilis, nec omnino perfectus, non potuit uxori præjudicare, quæ jus habet ut delicta compenſentur, quoties ante divortii ſententiam contigerit virum in ſimile adulterium labi: ar ſi voto ſimplici legatus eſt caſtitatis, non poterit petere debitum. Dixi ſemper, quando non præcedenti ſententia, receſſit ob adulterium notorium: poſtea jam profeſſus, vel in ſacris conſtitutus, eſt fornicatus, non reſtituendum eſſe virum uxori. Quia ſi adulterium non eſſet notorium, reſtitueretur uxori tanquam ſpoliatæ, non tamen ob fornicationem ſequentem, quæ cum priori minime compenſatur, ob mutationem ſtatus factam, quæ abſque uxoris præjudicio fieri potuit in foro conſcientiæ, ſi vir ſit certus de adulterio ab uxore admiſſo: ſed reſtitueтur propter ſpolium injuſte factum quoad forum externum, donec via ordiaaria probetur adulterium uxoris. Quod probato, minime admitteтur uxoris exceptio de ſimili adulterio viri commiſſo poſt illum ſtatum aſſumptum. Quia per illud minime potuit illi ſtatui præjudicare: qui legitime in foro conſcientiæ aſſumptus eſt, ſi ſolum uxoris præjudicium attendamus: quamvis ob ſcandalum, vel alias circumſtantias peccare potuit, ut dicemus diſp.11. per totam. Et talis religioſus, vel in ſacris conſtitutus, ſic uxori reſtitutus, nec petere, nec reddere debitum uxori poterit. Quia cum certus ſit de adulterio uxoris, certus eſt ſuum votum fuiſſe undequaque validum. An vero ſi probationes adulterii uxoris velit in continenti offerre, ſit in hoc caſu reſtituendus? dicemus diſp. 12. num.22.

In 3. autem caſu, quando divortium ſententia Eccleſiæ præ- 35 cedente celebratum eſt, & vir tunc fornicatur nondum mutato ſtatu, & poſtea mutet ſtatum profitens in religione, vel in ſacris ordinibus conſtitutus: ſi ſuſtineamus ſentent. relatam nu.27. nimirum, viro poſt ſententiam fornicante, ante mutationem ſtatus, acquiri uxori jus, & actionem ad repetendum, ſubinde dicendum eſt, non obſtante novo ſtatu eum uxori reſtituendum eſſe: ſicut ſi fornicans ante ſententiam mutaſſet ſtatum, juxta dicta n.26. Quia ſtatus illa injuſta mutatio, adverſus jus acquiſitum uxori, non potuit illi præjudicare. Retenta vero opinione, quam n.30. ſuſtinuimus, videlicet uxorem omni jure, & actione deſtitutam eſſe, poſſe autem judiciale conſulat: nullo modo poterit judex eum ad conſortium conjugale revocare: & idem credo, ſi vir votum ſimplex caſtitatis emiſiſſet. Quia votum illud in eo ſtatu, aut circa illum emiſſum, fuit omnino validum: ſiquidem jus uxoris nullo pacto obſtitit: ac proinde ceſſat officium judicis, quod non fovere debet peccatum, quale eſſet petere, aut reddere contra illud votum, quod omnino firmum eſt: & votum quod perfectus eſt, fovens, aliis mediis occurrere debet periculo incontinentiæ. Quod ſi objicias, cum ſtatum non potuiſſe aſſumi, votumve emitti, in præjudicium officii judicis, cui per fornicationem jus acquiſitum erat, ut conjuges illos reconciliaret: Dic hoc jus non acquiri in alterius conjugis favorem, ſed in bonum ipſius conjugis fornicantis, ut ejus incontinentia caveatur, & ut bono communi conſulatur, cavendo peccata publica, ex quibus ſcandalum oriri ſolet. Quare impedire non debet ſtatum perfectiorem. Unde etiam exiſtimo non poſſe judicem illud officium impertiri, quando fornicans poſt ſententiam vellet profiteri, aut ad ordines aſcendere. Quia jam incontinentiæ ſuæ conſulit, novum vinculum ſervandæ caſtitatis ſibi imponens, ſtatu perfectiori aſſumendo.

Utrum autem ſicut conjux adulter non habet jus actionis, 36 ut innocentem poſt divortii ſententiam fornicantem repetat: neque hic tenetur in foro conſcientiæ illum admittere, donec judicis officio compellatur: ita e contra, ſi ipſe innocens tunc fornicans velit alterum ſibi reconciliare, careat jure actionis, ac proinde prior adulter poſſit renuere, donec judex compellat? *Palud. 4 diſt.35. qu.2. art.2. n.41. & Greg. Lop. l.5. v.De adulterio, tit.10. p.4.* dicunt poſſe utrumvis alterum repetere, & teneri alterum redire. Quoniam compenſantur illa delicta. Idem ſequitur *Palac. 4 diſt.35. diſp. un. dub.4. col.20. fol.790.* Si ambo ſint jam correcti: quod ſi

alter